Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0001-9

XIII, 84. 3. 906.

III. 907.

# CHRISTIANI SIGISM. RICHTERI,
MEDICINAE QVONDAM DOCTORIS
ET PRACTICI,
SVCCINCTA RECENSIO
DE
# MEDICAMENTIS
ALIQVOT SELECTIS,
QVAE
HALAE MAGDEBVRGICAE
IN ORPHANOTROPHEO
DISPENSANTVR,
ET
QVORVM LEGITIMO VSV
NON LEVES TANTVM, SED GRAVIORES
QVOQVE MORBI,
TESTE LONGA EXPERIENTIA,
FELICITER DEPELLVNTVR.

EDITIO TERTIA
PROCVRANTE
D. DAVIDE SAMVELE DE MADAI,
SERENISSIMI PRINCIPIS ANHALTINO-COETHENI
CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO,
ITEMQVE PRACTICO IN ORPHANO-
TROPHEO HALENSI.

HALAE,
LITTERIS ORPHANOTROPHEI
ANNO M DCC LXXII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0003-0

Quum tanta ſit audacia fraudatorum, qui noſtra medicamenta per quam illicite imitantur, vt noſtro ſigillo, quo obſignare medicamenta ſolemus, abuti, atque effreni æmulatione illud effingere non dubitent: noſtrum eſſe putauimus, vt quemlibet de eo moneremus, ne ab eiusmodi hominibus incautus in errorem inducatur. Alii quidem ſigillum Richterianum, tam ratione ſigni, quam inſcriptionis nominum Inuentorum beate defunctorum, integrum repræſentarunt; alii vero, qui paulo moderatiores videri geſtiunt, nomen quidem ſuum aut ſymbolum quoddam ſigillo Richteriano adiecerunt, ita tamen vt iſta ob litteras minutiſſimas ſine microſcopii ope vix legi aut cognoſci queant. Vt igitur, ſi quid a nobis fieri poteſt, fallaciæ iſtorum hominum obicem ponamus, conſultum videtur, iſta ſigilla, quibus medicamenta noſtra obſignari a nobis ſolent, paulo grandius expreſſa hic exhibere, vt quisque litteras illis inciſas et inſcriptionem nominum eo diſtinctius legere atque a noxa falſorum medicamentorum ſibi cauere facilius poſſit.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0004-6

# PRAEFATIO AD LECTOREM.

## §. I.

PRAETERFLVXERUNT iam anni quadraginta ſex, et quod excurrit, cum beatus ſocer meus, CHRISTIANVS SIGISMVNDVS RICHTER, Medicinæ Doctor, et frater ipſius germanus, CHRISTIANVS FRIDERICVS, Medicinæ itidem Doctor, *medicamenta quædam ſelectiora* in vſum orphanotrophei, quod heic eſt, adinuenire atque præparare iunctim cœperunt: quæ huc vſque quidem, tam intra quam extra Germaniam, Initium et progreſſus huius inſtituti.

magno cum fructu per diuinam gratiam, a multis ægrotis vſurpata eſſe conſtat. Quoniam autem *inſtitutiones* atque *inſtructiones*, quas de recta eorundem adplicatione ediderant, diuerſis iterandæ fuerunt temporibus: ſubinde quædam factæ ſunt acceſſiones, quibus horum medicamentorum vſus paullo vberius et accuratius exponeretur, donec b. agnatus noſter, D. CHRISTIANVS FRIDERICVS RICHTER, paullo ante nominatus, anno MDCC VIII. pleniorem illum tractatum germanicum, qui *Hœchſtnöthige Erkentniſs des Menſchen, ſonderlich nach dem Leibe und natürlichen Leben &c.* i. e. *COGNITIO HOMINIS ſumme neceſſaria, ſecundum corpus potiſſimum et vitam naturalem conſiderati*, inſcribitur, in lucem publicam mitteret. In quo non tantum perſpicua inſtructio continetur de valetudine hominis eaque tuenda, item de variis morborum cauſſis, indiciis et appellationibus: ſed docetur etiam, quomodo quisque, deficiente medico, hæc medicamenta, in commodum *domeſticæ, portati-*

Tractatus primus hac de re editus.

*lis*

*lis et caſtrenſis apothecæ* compendium ſelecta, tam in leuibus quam grauioribus ac periculoſis morbis recte adhibere et in valetudinis vſum convertere ipſe queat.

§. II.

Qui quidem tractatus etſi pluribus vbique fere locorum comprobatus maximeque vtilis viſus eſt, vt iam decima quarta eius editio anno MDCCXLVII prodierit: reperti tamen ſunt paſſim, qui eum iuſto ampliorem putantes in votis habuerunt, vt arctius contractus et in *compendium* redactus, propter commoditatem, præſertim iter facientium, ederetur. Iſtud autem facere hac de cauſſa dubitauerunt anteceſſores noſtri, quod verebantur, ne tractatus iſte maior deinceps negligeretur aut indiligentius legeretur: quum tamen in eo edendo id illis maxime curæ fuerit, vt in primis ii, quibus placeret noſtris vti medicamentis, ex crebriore ſæpiusque repetita huius libri lectione aliquam notitiam de

Cauſſæ hunc tractatulum edendi cur primum ſint neglectæ.

de natura hominis, eiusque proprietatibus, ac motibus in corpore accidentibus; de valetudine, quanam illa in re proprie conſiſtat, et qua ratione aut conſeruetur aut lædatur; item de morbis horumque cauſſis, ſignis et differentiis, ac denique de ægrotantium regimine haurirent. Hoc enim pacto futurum exiſtimabant, vt lectores non aptiores modo redderentur ad medicamentorum, ſecundum methodum ab ipſis præſcriptam et commendatam, adplicationem; ſed facilius etiam animis conquieſcerent, ſibique perſuaderent, nihil eſſe in ægrotis curandis prætermiſſum aut neglectum: licet effectus, quem ſperant, non ſemper e veſtigio ac manifeſta cum demonſtratione, (quod quidem multi volunt atque optant,) ſubſequatur; quippe quod in hominis poteſtate ſæpe non eſt ſitum.

## §. III.

Expetitur breuior

Alii deſiderauerunt, vt ex memorato

morato tractatu ſaltem *inſtitutionem*, qua diſtincte doceatur, quæ medicamenta, quo modo et aduerſus quos morbos ac adfectus adhiberi debeant, extrahendam et ſeorſim imprimendam curarent: quo et iis ex parte conſuleretur, qui tractatum maiorem aut non emere poſſunt, aut quibus ampliorem illam inſtructionem perlegere per tempus aliasque occupationes non licet. quædam inſtitutio.

§. IIII.

Atque hoc quidem ſæpius eſt promiſſum; ſed in aliud ſemper tempus reiectum: donec ſocer noſter D. CHRISTIANVS SIGISMVNDVS RICHTER inſtantibus multorum exterorum precibus et monitis amicorum eo tandem adactus compulſusque fuit, vt illud anno MDCCXX. et quidem in gratiam linguæ germanicæ expertium, ſermone *latino* effectum præſtaret. Quæ tandem in hoc tractatulo exhibetur.

Quando igitur poſt dilectiſſimi

ſoceri beatum e vita exceſſum, qui anno MDCCXXXIX contigit, medicamentorum cura in Orphanotropheo noſtro mihi concredita eſt, quia ipſo viuo per aliquot retro annos medicamenta ipſe præparaui et expetita conſilia medica conſcripſi; præterea itidem ſæpius rogatus ſum, vt de medicamentorum noſtrorum vſu et effectis breuem aliquam recenſionem ederem: huic etiam deſiderio ſatisfaciendum duxi, eumque in finem latinum illum ſoceri tractatulum laboris mei fundamentum eſſe volui, vt eum lingua quidem *germanica* euulgarem, paucis quibusdam medicamentis, quæ inſequuto tempore, Deo ſtudium ac laborem clementer proſperante, inventa acceſſerunt, ſimul recenſitis, iis etiam, quæ ratione priorum medicamentorum eorumque vſus, mutata et emendata ſunt, inſertis. Prodiit hic libellus *germanicus* anno MDCCXLVI, et nunc quidem latine iſte, me quoque procurante, denuo exit, dictis additamentis, mutationibus et emendationibus auctus.

§. V.

§. V.

Medicamenta igitur, quorum vſus et adplicandi modus in hoc tractatulo præſcribitur, vt primo loco recenſeantur, inſtituti ratio requirit. Sunt autem illa, quæ ſequuntur: Recenſio medicamentorum cum pretii denotatione.

1. Eſſentia dulcis 1 loth 1 Imper.
2. Eſſentia amara 1 loth 4 gr.
3. Eſſentia anthypochondriaca, (ſub nomine germanico *Miltz-Eſſentz* h. e. Eſſentia pro liene, magis nota.) 1 loth 4 gr.
4. Pilulæ polychreſtæ 1 loth 16 gr.
5. Pilulæ contra obſtructiones 1 loth 8 gr.
6. Pilulæ purgantes 1 loth 12 gr.
7. Puluis bezoardicus 1 loth 4 gr.
8. Puluis antiſpaſmodicus 1 loth 4 gr.
9. Puluis contra acredinem (vulgo *wider die Schærfe*) 1 loth 3 gr.
10. Puluis vitalis 1 doſis 1 gr.
11. Balſamus cephalicus ij drachma 6 gr.

§. VI.

Hæc medicamenta, quæ nominauimus, tam ſingula ſeparatim diſpenſantur, quam vniuerſa coniun- Modus distrahendi hæc medicamenta

per ſic dictas apotheculas.

ctim, in ciſtula quadam, ad iſtum cum primis vſum aptata et in commodiſſimam *domeſticæ*, *portatilis et caſtrenſis APOTHECVLAE formam* inſtructa. Hanc autem ob cauſſam ciſtulas illas *Apothecularum* nomine inſignitas volumus, quod hoc, licet exiguo, medicamentorum numero et adparatu morbis illis omnibus, et pluribus etiam, occurri efficaciter poteſt, ad quos alia quæcumque, in officinis publicis obuia, vulgo vſurpantur. Hinc paucula illa, ſi virtutem et efficaciam ſpectes, tantumdem et plus etiam valent, quam ingens multitudo medicamentorum, quæ in officinis communiter diſpenſari ſolent: quamuis horum numerus longe ſupra mille adſcendat. Præterea tutiſſimus eſt horum medicamentorum vſus, vt nihil plane metuendum ſit mali, ne tum quidem, cum non ſatis congruenter, quod interdum fit, ægrotis adplicantur, et morbi a morbis minus ſollicite dignoſcuntur. Habent etiam hæc medicamenta durationem,

et

et citra diſpendium aut corruptionem in remotiſſima deportantur loca: ita vt, ſi reliquum modo tempus in loco quodam opaco et frigidiuſculo adſeruantur, plurimos per annos ſine virium deminutione retinere illa poſſis.

## §. VII.

In adornandis autem et inſtruendis huiusmodi *apothecul͏is* ratio habetur impenſarum, quas quisque facere cogitat: adeoque ad 5, 10, 12, 16, 20, etiam 30, vſque ad 100 et plures imperiales inſtruuntur, prout ſingulorum medicamentorum maior vel minor quantitas additur. Diuerſa ratio inſtruendarum apothecularum.

## §. VIII.

Vt autem cuique certius conſtare poſſit, quænam medicamenta et quanta ſingulorum copia in *apotheculis* his, pro diuerſitate pretiorum diuerſis, reperiatur, illud in ſequentibus diſtincte oſtendemus. Apothecula pro quinque imperialibus.

In

In *apothecula quinque* imperialium continentur

| | Imp. | Gr. |
|---|---|---|
| Eſſentia dulcis 1 loth | 1 | - |
| Eſſentiæ amaræ 3 loth | - | 12 |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 2 loth | - | 8 |
| Pilularum polychreſtarum 1 loth | - | 16 |
| Pilularum contra obſtructionem 1 drachma | - | 2 |
| Pilularum purgantium ½ loth | - | 6 |
| Pulueris bezoardici 3 loth | - | 12 |
| Pulueris antiſpaſmodici 3 loth | - | 12 |
| Pulueris contra acredinem 2 loth | - | 6 |
| Pulueris vitalis 12 doſes | - | 12 |
| Balſami cephalici ½ drachma | - | 3 |
| Pro lignea ciſtula | - | 4 |
| Pro vitris | - | 3 |
| | 5 Imperiales. | |

§. VIIII.

Apothecula pro ſex imperialibus.

In *apothecula ſex* imperialium inſunt omnia, quæ modo recenſuimus, medicamenta: quibus additur etiam compactum exemplar memorati tractatus germanici *Unterricht*, h. e. *Cognitio hominis cæt.* et

quum

quum aliquid pecuniæ ſuperſit, valor illius Eſſentia dulci aut alio quodam medicamento compenſatur.

§. X.

In *apothecula octo* imperialium habentur

Apothecula pro octo imperialibus.

| | Imp. | Gr. |
|---|---|---|
| Eſſentiæ dulcis 1½ loth | 1 | 12 |
| Eſſentiæ amaræ 3 loth | - | 12 |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 2 loth | - | 8 |
| Pilularum polychreſtarum 1 loth | - | 16 |
| Pilularum contra obſtructiones 1 drachma | - | 2 |
| Pilularum purgantium ½ loth | - | 6 |
| Pulueris bezoardici 3 loth | - | 12 |
| Pulueris antiſpaſmodici 3 loth | - | 12 |
| Pulueris contra acredinem 2 loth | - | 6 |
| Pulueris vitalis 16 doſes | - | 16 |
| Balſami cephalici 1 drachma | - | 6 |
| Compactum libri germanici exemplar | - | 20 |
| Ciſtula, rubro corio obducta, oris deaurata et bene munita | 1 | 16 |
| | 8 Imperiales. | |

§. XI.

## §. XI.

Apothecula pro decem imperialibus.

In *apothecula decem* imperialium exhibentur

| | Imp. | Gr. |
|---|---|---|
| Eſſentiæ dulcis 2 loth | 2 | - |
| Eſſentiæ amaræ 4 loth | - | 16 |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 2 loth | - | 8 |
| Pilularum polychreſtarum 1½ loth | 1 | - |
| Pilularum contra obſtructiones ½ loth | - | 4 |
| Pilularum purgantium 3 drachma | - | 9 |
| Pulueris bezoardici 4 loth | - | 16 |
| Pulueris antiſpaſmodici 4 loth | - | 16 |
| Pulueris contra acredinem 3 loth | - | 9 |
| Pulueris vitalis 24 doſes | 1 | - |
| Balſami cephalici 1 drachma | - | 6 |
| Libri *Unterricht* compactum exemplar | - | 20 |
| Ciſtula, vt ſupra | 1 | 16 |

10 Imperiales.

§. XII.

## §. XII.

In *apothecula duodecim* imperialium includuntur

Apothecula pro duodecim imperialibus.

| | Imp. | Gr. |
|---|---|---|
| Eſſentiæ dulcis 3 loth | 3 | - |
| Eſſentiæ amaræ 4 loth | - | 16 |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 4 loth | - | 16 |
| Pilularum polychreſtarum $1\frac{1}{2}$ loth | 1 | - |
| Pilularum contra obſtructiones $2\frac{1}{2}$ drachma | - | 5 |
| Pilularum purgantium 3 drachma | - | 9 |
| Pulueris bezoardici 4 loth | - | 16 |
| Pulueris antiſpaſmodici 4 loth | - | 16 |
| Pulueris contra acredinem 4 loth | - | 12 |
| Pulueris vitalis 36 doſes | 1 | 12 |
| Balſami cephalici 1 drachma | - | 6 |
| Tractatus compactus | - | 20 |
| Ciſtula vt ſupra | 1 | 16 |

12 Imperiales.

§. XIII.

## §. XIII.

Apothecula pro ſedecim imperialibus.

In *apothecula ſedecim* imperialium inueniuntur

| | Imp. | Gr. |
|---|---|---|
| Eſſentiæ dulcis 4 loth | 4 | - |
| Eſſentiæ amaræ 6 loth | 1 | - |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 4 loth | - | 16 |
| Pilularum polychreſtarum $2\frac{1}{2}$ loth | 1 | 16 |
| Pilularum contra obſtructiones 3 drachma | - | 6 |
| Pilularum purgantium 1 loth | - | 12 |
| Pulueris bezoardici 6 loth | 1 | - |
| Pulueris antiſpaſmodici 6 loth | 1 | - |
| Pulueris contra acredinem 6 loth | - | 18 |
| Pulueris vitalis 48 doſes | 2 | - |
| Balſami cephalici $\frac{1}{2}$ loth | - | 12 |
| Libri *Unterricht* exemplar compactum | - | 20 |
| Ciſtula, vt ſupra | 1 | 20 |

16 Imperiales.

§. XIIII.

## §. XIIII.

In *apothecula viginti* imperialium porriguntur

Apothecula pro viginti imperialibus.

| | Imp. | Gr. |
|---|---|---|
| Eſſentiæ dulcis 5 loth | 5 | - |
| Eſſentiæ amaræ 8 loth | 1 | 8 |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 6 loth | 1 | - |
| Pilularum polychreſtarum 3 loth | 2 | - |
| Pilularum contra obſtructiones 1 loth | - | 8 |
| Pilularum purgantium 1 loth | - | 12 |
| Pulueris bezoardici 8 loth | 1 | 8 |
| Pulueris antiſpaſmodici 8 loth | 1 | 8 |
| Pulueris contta acredinem 8 loth | 1 | - |
| Pulueris vitalis 72 doſes | 3 | - |
| Balſami cephalici ½ loth | - | 12 |
| Liber compactus *Unterricht* | - | 20 |
| Ciſtula | 1 | 20 |
| | 20 Imperiales | |

## §. XV.

Apothecula pro triginta imperialibus.

In *apothecula triginta* imperialium mittuntur

| | Imp. | Gr |
|---|---|---|
| Eſſentiæ dulcis 8 loth | 8 | - |
| Eſſentiæ amaræ 12 loth | 2 | - |
| Eſſentiæ anthypochondriacæ 8 loth | 1 | 8 |
| Pilularum polychreſtarum 6 loth | 4 | - |
| Pilularum contra obſtructiones 2 loth | - | 16 |
| Pilularum purgantium 2 loth | I | - |
| Pulueris bezoardici 12 loth | 2 | - |
| Pulueris antiſpaſmodici 12 loth | 2 | - |
| Pulueris contra acredinem 10 loth | I | 6 |
| Pulueris vitalis 96 doſes | 4 | - |
| Balſami cephalici $1\frac{1}{2}$ loth | I | 3 |
| Liber compactus | - | 20 |
| Ciſtula, vt ſupra | I | 20 |
| | 30 Imperiales. | |

§. XVI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0020-4

## §. XVI.

Tali modo pretia *apothecularum* pro ratione et copia medicamentorum ſemper augentur. In quibus adornandis illud cum primis agitur, vt illa medicamenta, quorum vſus in pluribus morbis requiritur, in maiori copia dentur, quam reliqua, quæ non ita frequentis vſus ſunt; aut quæ non toties continuanda, vt puluis vitalis, cuius ordinarie vna tantum doſis, aut duæ per diem ſumuntur; aut quæ doſibus perquam exiguis capiuntur, vt pilulæ contra obſtructiones, quarum ſemiuncia plures quam ſeptuaginta doſes continet, et ſic porro. Liberum tamen vnicuique relinquitur, modum harum *apothecularum* pro lubitu præſcribere, et, quantum ſingulorum medicamentorum habere velit, denominare. Addimus etiam pro more conſueto tractatum, in lingua germanica editum, cui nomen:

Obſeruatio ſpecialis de diuerſa apothecularum inſtructione.

Cur tractatus de vſu medicamentorum

apothecu-lis inſera-tur.

*Höchſtnöthige Erkentnis des Menſchen, ſonderlich nach dem Leibe und natürlichen Leben, oder ein deutlicher Unterricht von der Geſundheit und deren Erhaltung: auch von den Urſachen, Kennzeichen und Namen der Kranckheiten, und bewährten Mitteln gegen dieſelben, damit ein jeder, auch Ungelehrter, bey Ermangelung eines Medici, ſonderlich durch elf ſichere, hierzu hinlänglich erfundene, und zu einer bequemen Haus- Reis- und Feld - Apothecke ſelegirte Medicamente, und Gebrauch dieſes Tractats, vermöge bisheriger reichen Erfah-*

*fahrung, die gewöhnlichen, auch ſchweren Kranckheiten, ſicher und mit gutem Succeſs curiren könne, abgefaſſet von D. Chriſtian Friedrich Richtern, Medicinæ Practico in Halle.* Latine: *Notitia hominis ſecundum corpus potiſſimum et vitam naturalem conſiderati; vel: Inſtructio perſpicua de ſanitate eiusque conſeruatione: De cauſſis, ſignis et nominibus morborum, nec non illis oppoſitis ſalutaribus medicamentis, ita vt vnusquisque, etiam indoctus, deficiente Medico, per vndecim tuta, in hunc finem inuenta et ad commodam domeſticam, por-*

*tatilem et caſtrenſem apotheculam inſtruendam ſelecta medicamenta, vſu huius tractatus, omnes morbos ordinarios, graviores etiam, ſecure et bono cum ſucceſſu curare poſſit, edita a D. Chriſtiano Friderico Richtero, Medico Halenſi.*

Idque facimus ea de cauſſa, quia crebram illius lectionem vnicuique vtiliſſimam eſſe diximus. Quodſi quis igitur tali quadam *apothecula*, vel ſeparatim medicamentis ſupra recenſitis, vti conſtituerit, ille in memorati tractatus indice, quidquid velit, euoluat: ſic ſatis abundeque de omnibus ac ſingulis docebitur.

Sin autem aliquis tractatu hoc, *apotheculæ* ſubiungi ſolito, iam inſtructus eſt, aut non indiget; tum aut pretium eius de ſumma detrahi, aut pro cuiusque lubitu medicamentorum quantitate compenſari poteſt. Qualis ratio etiam *ciſtularum* eſt: ita, vt

vt nemo ad earum emtionem compellatur, ſed medicamenta ſola, in faſciculum collecta et chartis emporeticis bene munita volenti transmittantur. Si quis non velit vniuerſa, habebit ſingula, et ex ſingulis quantumcunque lubuerit.

§. XVII.

Præter hæc medicamenta in promtu ſunt et alia quædam bona, nec vbiuis obuia: quæ tamen *apothecylis* his *domeſticis*, *portatilibus et caſtrenſibus* vt ordinaria medicamenta ſubiungere ideo dubitauimus, ne numerus illorum, cum eoque ſumtus etiam, ſupra modum accreſceret. Nihilo minus tamen ea volentibus ſeorſim diſpenſari aut transmitti poterunt, qua etiam de cauſſa nobis viſum eſt ea, quæ de illorum effectu et virtutibus adnotare licuit, huic tractatulo pauciſſimis ſubnectere.

Cur non alia medicamenta, quæ in promtu ſunt, adiiciantur.

§. XVIII.

Sunt autem hæc medicamenta præ-

Quorum nomina

recenſentur. præter illa, quæ ſupra §. V. recenſuimus, ſequentia:

I. Puluis Niger 1 doſis ad 8 gr.
II. Puluis Laxans 1 loth 5 gr.
III. Electuarium antiphthiſicum, vna libra, continens duodecim vncias medicorum 1 imper.
IIII. Puluis Solaris 1 doſis 1 gr.
V. Tinctura Salis 1 loth 4 gr.
VI. Tinctura Corallina 1 loth 4 gr.
VII. Puluis ſtomachicus reſoluens contra febres; faſciculus duodecim doſium 6 gr.

## §. XVIIII.

Fidem his medicamentis facit experientia. Pro defendenda horum medicamentorum bonitate ſuperuacaneum eſſe ducimus, noua argumenta, teſtimonia atque exempla producere, poſtquam illud antehac abunde factum eſt partim in libro germanico iam memorato, partim in peculiari tractatulo, cui titulus: *Merckwürdige Exempel ſonderbarer durch die Eſſentiam*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0026-8

*ſentiam dulcem von anno 1701 bis 1708 geſchehener Curen.* Adpellamus potius commune teſtimonium eorum fere omnium, qui intra hos quadraginta ſex annos his medicamentis per benedictionem cæleſtem cum emolumento vſi ſunt.

## §. XX.

Propter multiplicem fraudem in his medicamentis huc vſque tentatam et exercitam, ita quidem, vt diuerſi homines, turpi lucro inhiantes, prorſus ſpuria ac falſo ſubſtituta pro noſtris venditarint; de quibus tamen varia ac multiplex experientia docuit, quod neque colore, neque ſapore, multo minus ſalutari operatione, noſtris paria fuerint: faciendum nobis eſſe putauimus, vt non apotheculas modo, ſed ſingula quoque vitra et capſulas ſigillo noſtro obſignaremus ac muniremus, vt quilibet medicamenta noſtra ab alienis et ſuppoſititiis eo melius poſſet diſcernere. Enimuero, hoc non obſtante, comperimus et documen-

Qua de cauſſa medicamenta obſignentur.

ta ad manus habemus, fraudatores quosdam impudentia atque audacia fretos non dubitaſſe ſigillum noſtrum illicita quadam imitatione effingendum curare, eoque merces ſuas obſignando multos incautos in errorem induxiſſe. Factum hoc eſt, dum alii ſigillum illud integrum, tam ratione inſignis quam inſcriptionis circa marginem: CHRIST. SIGM. CHR. FRID. RICHTER M. DD. repræſentarunt; alii autem fraudem ſuam aſtute diſſimulaturi nomen quidem ſuum apposuerunt, inſigne tamen retinuerunt. Quo callido agendi modo id ſaltem adſecuti ſunt, vt illi, qui nominis inſcriptionem aut non potuerunt legere, aut in ea recte dignoſcenda nihil poſuerunt operæ, adſimulata ipſorum medicamenta, propter expreſſum in ſigillo *inſigne Richterianum*, pro noſtris habuerint atque emerint turpiter decepti. Quorum ſic deceptorum vicem vti dolemus, ita vt iſti fallaciæ, quantum fieri poteſt, in poſterum anteuertamus, Lectores

res beneuolos monemus, omnia medicamenta, quæ a geſtatoribus et propolis circumforaneis venduntur, falſa eſſe et ſpuria, ſi vel maxime ſigillum noſtrum ſiue ex toto ſiue ex parte præ ſe ferant. Neque enim per eiusmodi conductos homines medicamenta noſtra cuipiam venalia offerimus, ſed per curſus publicos, vulgo *Poſtas*, ad illos mittimus, qui ea a nobis deſiderauerunt. Poſtquam quoque talia medicamenta, quæ pro ante memoratis venui habentur, publicis relationibus, partim ſub generali *probatorum medicamentorum Halenſium* adpellatione, partim ſub ſuis propriis nominibus inſerta, iisque alia quædam, quæ quidem a nobis non diſpenſantur, adiuncta fuerunt: hunc libellum iam denuo edentes indicandum duximus, hæc medicamenta noſtra numquam per publicas relationes ſiue nouellas vulgari, nec per vagabundos geſtatores, vti modo diximus, venalia circumferri, adeoque neminem non perſuaſiſſimum habere poſſe, iſtius-

modi

modi medicamenta pro noſtris, qualia quidem eſſe dicuntur, nequaquam habenda, neque hoc nomine emenda eſſe, niſi quis ſibi ipſi tribuere velit, ſi effectus, in hoc tractatulo memoratos, non ſolum non experiatur, ſed contrarios etiam et noxios ſentiat. Qui igitur omne fraudationis periculum euitare cupiunt, neque vero norunt, vbi germana noſtra medicamenta hic illic extra Halam diſpenſentur, illi ſibi omnium optime conſulent, ſi prima quidem vice ea a nobis ipſis Hala per litteras accierint. Hac enim ratione fiet, vt falſa et ſpuria ſigilla a noſtro tanto facilius poſtea dignoſcant. Libenter quoque ipſis indicabimus, vbi memorata genuina medicamenta, vel in ipſis, in quibus habitant, locis, vel in vicina quadam regione ab amicis noſtris nanciſci poſſint.

§. XXI.

Ad quem litteræ horum medi-

Quod ergo qui facere voluerint, illi litteras ſuas Halam, in ducatu Magde-

Magdeburgico ſitam, dirigere poterunt, cum hac inſcriptione: camentorum cauſſa dirigendæ ſint,

*A Monſieur le Docteur de Madai, Conſeiller de la Cour et Medecin de S. A. S. Monſeigneur le Prince d' Anhalt Cœthen*

*à Halle en Saxe.*

*Auf dem Wayſenhauſe abzugeben.*

Vnusquisque autem pro eo ac decet rogatur, vt nomen ſuum et locum, tam ſpecialem, vbi degit, quam generalem, in qua prouincia ſitus eſt, expreſſis ac diſtinctis, et, quæ bene legi poſſint, litteris adſcribat, moneatque ſimul, per quam viam mitti ſibi velit reſponſionem, ne hæc pariter et medicamenta, litteris nobis minus recte redditis, in via detineantur, aut ad locum alienum deportentur. et qua cum cautione.

§. XXII.

## §. XXII.

Cæterum ſummis merito laudibus celebramus benedictionem, a Deo, rerum omnium auctore optimo maximo, his medicamentis inditam atque impertitam, et veneramur gratiſſima mente permagnam eius bonitatem, tot ægrotis adflictisque, illorum ope et auxilio, in laudem ſanctiſſimi ſui nominis præſtitam: orantes etiam atque etiam, vt eadem in poſterum quoque vſuris fauſta ac ſalutaria eſſe iubeat.

Halæ Magdeburgicæ,
d. XIII Martii
MDCCLII.

DAVID SAMVEL DE MADAI,
Med. Doctor.

CON-

# CONSPECTVS.

## I. SVCCINCTA RECENSIO

| | | |
|---|---|---|
| *Cap. I.* | *De Eſſentia Dulci* | *p. 1 - 16* |
| *Cap. II.* | *De Eſſentia Amara* | *p. 16 - 20* |
| *Cap. III.* | *De Eſſentia Anthypochondriaca* | *p. 20 - 27* |
| *Cap. IIII.* | *De Pilulis Polychreſtis* | *p. 27 - 44* |
| *Cap. V.* | *De Pilulis Purgantibus* | *p. 45 ſeq.* |
| *Cap. VI.* | *De Pilulis contra obſtructiones* | *p. 46 - 50* |
| *Cap. VII.* | *De Puluere Bezoardico* | *p. 50 - 53* |
| *Cap. VIII.* | *De Puluere contra Acredinem* | *p. 54. 55* |
| *Cap. VIIII.* | *De Puluere Antiſpaſmodico* | *p. 56 - 61* |
| *Cap. X.* | *De Puluere Vitali* | *p. 62 - 66* |
| *Cap. XI.* | *De Balſamo Cephalico-Stomachico-Neruino* | *p. 67 - 70* |

II. AP.

## II. APPENDIX.

Sect. I. De Puluere Nigro p. 72. 73
Sect. II. De Puluere Laxante p. 74 - 78.
Sect. III. De Electuario Anti-
phthiſico p. 79. 80.

## III. BREVIS NARRA. TIO

De Puluere Solari p. 81 - 104.

## IIII. ADDITAMENTVM TRIPLEX.

I. De Tinctura Salis p. 106 - 110
II. De Tinctura Corallina p. 111. 112
III. De Febri Tertiana promte
et tuto curanda. p. 113 ſeqq.

# SVCCINCTA RECENSIO
## DE HORVM
# MEDICAMENTORVM
## VSV ET EFFECTIS.

## *CAPVT PRIMVM*
### DE
## ESSENTIA DVLCI.

### §. I.

Eſſentia dulcis quale ſit medicamentum.

ESSENTIA DVLCIS eſt medicamentum confortans et roborans, quod vires vitales valde auget, naturam excitat, eamque alacrem reddit ac vigentem. Cuius rei intuitu, tamquam *medicina vniuerſalis* in omnibus morbis, ſine vlla exceptione, quam tutiſſime adhibetur: cum

in omni genere morborum confortantia vſum ſuum habeant et ſæpius abeſſe nequeant; cum primis ea, quæ nihil damni ad hunc vel illum morbum conferunt, quale quid ab hoc quidem medicamento minime metuendum.

§. II.

Quibus ea commendetur.

Qua de cauſſa in primis commendatur iis, qui ætate ſunt prouecti, quique viribus deficiuntur; hos enim frequentior eius vſus multum roborat validosque conſeruat. Vtiliſſimum etiam eſt medicamentum his, qui grauiſſimis morbis defuncti, ægre vires recipiunt.

§. III.

Diuerſæ eius operationes.

Et quoniam naturam admodum firmat atque ad neceſſarios motus excitat: operatio eius apud quemque ægrotorum tali modo peragitur, qui et naturæ et morbo conuenientiſſimus eſt. Itaque in nonnullis per ſudorem, aut ſaliuam, aut vrinam, aut aluum, aut grauedinem, aut eſfloreſcentiam in cute; in aliis per fonticulos, quos habent; in plerisque autem per tranſpirationem inſenſi-

ſenſibilem operatur: atque ita virtutem ſuam exſerit, vt inde ægrotantes nihil ſentiant, niſi quod ad meliorem redeant valetudinis ſtatum.

§. IIII.

Qua ex cauſſa etiam fit, vt retenti ſanguinis fluxus, ſi ad valetudinem faciant, reuocentur: ſin autem illorum ſuperfluitas noceat, eadem vtendi ratione ſiſtantur atque cohibeantur. Quod ſi medicamenta, in pari caſu infra commendanda, in auxilium vocantur, effectus erit eo præſentior celeriorque.

Effectus illius in hæmorrhagiis.

§. V.

Singularem quoque virtutem oſtendit hoc medicamentum in pluribus aliis morbis, dum dolores minuit atque tollit, ſomnum etiam ac requiem ſine metu periculi reddit: eaque de re eximia quadam virtute antiſpaſmodica, hoc eſt, ea, quæ ſpaſmis reſiſtit, donatum eſſe cernitur.

Leniuntur per hanc Eſſentiam dolores.

§. VI.

Præterea diſcutit *Eſſentia dulcis* mirum in modum congeſtiones ac ſtagnationes ſanguinis: ideoque in discutiendis inflammationibus tam internis,

Diſcutiuntur congeſtiones.

ternis, quam externis, apprime vtilis eſt. Quo in caſu vſus quoque pulueris antiſpaſmodici multum valet.

§. VII.

Adplicatur vulneribus etc. ſanandis.

Cæterum notabilis eſt illius effectus in vulneribus, in vlceroſis, fiſtuloſis, aliisque huius ſortis adfectibus, quos et mundat et ſanat.

§. VIII.

Commendatur feminis gravidis.

Mirificam autem ac plane ſingularem potentiam habet in *feminis*, vterum gerentibus, et cum fœtus vehementius ſe mouet, et cum alia ſymptomata accedunt: efficit inſuper quoque, vt facilior ſolito ſit partus et puerperium tolerabilius ac minus multis incommodis ſubiectum.

§. VIIII.

Parturientibus etiam.

Similem operationem bonam, quam hoc medicamentum prodit, euidentiſſime licet videre in ipſis parturientibus, tam in partu, quam etiam poſt partum. Quare talibus in caſibus illud tamquam ſpecificum commendamus, et poſſumus vere adſeuerare, parilem effectum ac virtutem ab nullo alio, quodcumque illud ſit, æque facile ac tuto exſpectari poſſe.

§. X.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0038-5

§. X.

Nobiliſſimus etiam eſt *Eſſentiæ dulcis* effectus, qui ex illius vſu in ipſo fœtu animaduertitur: ita quidem, vt ſalutari huius beneficio bene formatus, viuax ac vigens infantulus in lucem edi poſſit. Exempla in promtu ſunt, quæ teſtantur, *feminas*, infantulos alias mere epilepticos enixas, poſtquam *Eſſentiæ dulcis* vſum tempore grauiditatis ſuæ diligenter frequentarunt, ſaluos oppido vegetosque peperiſſe.

Prodeſt fœtibus edendis.

§. XI.

In primis commendanda illa eſt in omnibus morbis ſpaſmodicis et conuulſiuis, aut talibus, in quibus aliquid ſpaſmatis aut conuulſionis cernitur. Itaque bonum effectum præſtat primum in epilepſia, et morbo caduco, quem Germani *das bœſe Weſen*, *die ſchwere Noth*, item *den Jammer*, adpellitare ſolent: ſiue hoc malo pueri et iuuenes, ſiue adulti et ætate prouecti adficiantur, etiamſi illud aliquo modo ſit inueteratum.

Inſeruit morbis ſpaſticis curandis.

Deinde eximium præbet in arthritide, et ſpeciatim vaga, nec non in poda-

In arthritide, cæt.

gra, chiragra, gonagra, malo iſchiadico, hemicrania aliisque adfectibus vſum.

In contracturis.

Virtutem quoque eius experiuntur, qui contracturis et membrorum rigoribus laborant.

In partu difficili.

In partu difficili varius eſt et inſignis eius vſus, dum ſpurios parturiendi dolores compeſcit, veros autem ac neceſſarios prouocat: matrem cum fœtu inter hos viribus firmat, atque infantuli expulſionem leniter ac ſenſim promouet. Tum vero locum habere medicamentum hoc non poteſt, cum partus difficultas oritur vel a magnitudine vel mala ſituatione fœtus: quo in caſu facile intelligitur, illum inde neque minui neque inuerti aliterque diſponi poſſe. Nihilo minus tamen fœtus æque ac mater hinc robur accipiunt non exiguum, vt labores iſtos facilius ſuſtinere queant.

In doloribus poſt partum.

In doloribus poſt partum inſigni cum fructu adplicari poteſt, ſi quindecim guttæ in vnam doſin pulueris antiſpaſmodici deſtillentur, idque poſt duarum horarum ſpatium repetatur, inſuper autem puerperæ, interiectis

ſemper

ſemper viginti quatuor horis, ſedecim pilulæ polychreſtæ porrigantur.

Denique opitulatur haud parum in retentione ſecundinarum, ſi cum vſu pilularum polychreſtarum coniungatur. In retentione ſecundinarum.

§. XII.

Cum etiam motus illi, qui in inflammationibus, internis pariter ac externis, ſeſe produnt, proprie loquendo, motus ſint ſpaſmodici: in his quoque *Eſſentia dulcis*, quid valeat, notabiliter oſtendit. Ideoque in morbis ſequentibus, et qui his ſimiles ſunt, vtiliſſima eſſe deprehenditur: Medetur inflammationibus.

1. in nephritide, ſeu renum inflammatione.
2. in eryſipelate, ſeu igne ſacro, ſiue inflammatione cutis.
3. in apoſtematibus, quæ vel interne vel externe oriuntur.

§. XIII.

Ingens etiam eſt *Eſſentiæ dulcis* vtilitas, quam in variis oculorum morbis atque defectibus, a cauſſa quadam interna oriundis, interne adhibita producit. Ad vſum externum oculorum alia quædam peculiariter paratur, quæ nomen *Eſſentiæ dulcis ad oculos* habet. Item morbis oculorum.

§. XIIII.

Qualis effectus in adfectibus ſoporoſis.

In morbis ſoporoſis effectus ideo ſolet eſſe difficilior atque operoſior, quod tum natura multum eneruata eſt: attamen efficacia huius medicamenti, continuato aliquamdiu vſu, in ſequentibus morbis eſt manifeſta, ſaltem promtior, quam vulgarium medicamentorum; in paralyſi nempe, apoplexia, vertigine idiopathica, hebetudine auditus, lipothymia, artuumque tremore.

§. XV.

Vſus eius externus.

Multo quoque cum emolumento externe adhibetur in morbis, in quibus alia externa locum habent, et quidem in doloribus membrorum et articulorum ſpaſticis, in arthritide, contractura, aliisque id genus adfectibus. In quibus is eſt præſtantiſſimus illius effectus, vt dolores et materiam, in iſtis partibus retentam, diſcutiat, et ipſos nodos, ibidem obortos, ſi vſus medicamenti diligenter iteretur, et partes adfectæ ſæpius vngantur, feliciter reſoluat. In vulneribus, vlceribus, fiſtuloſis aliisque circumſerpentibus et exedentibus adfectibus, pariter

riter

riter vt alia balſama vulneraria ſolent, infectis partibus adplicatur; ſi prius omnis immundities, ſanationi contraria, deterſa ſit ac ſublata.

§. XVI.

Externis vſibus inſeruit etiam Eſſentia, quæ ad hunc finem paratur, ideoque *Eſſentia dulcis externa* denominatur. Qua quidem partes, in quibus dolor maxime ſentitur, vnguntur: id quod quatuor per diem vicibus, mane circa ſextam, ante meridiem circa decimam, poſt meridiem circa quartam, veſperi autem circa nonam iterandum erit. Eſſentia dulcis externa.

In doloribus dentium, alias odontalgia, paucæ guttulæ in goſſypium deſtillantur, et denti affecto imponuntur: quo poſt aliquam moram repetito et continuato, dolores mitigantur atque ceſſant. Sin dolor a dentibus excauatis oritur, nullum hinc exſpectandum eſt auxilium conſtans, niſi prius dentes carioſi euellantur. In otalgia ſeu doloribus aurium ſedandis, duæ tresue guttæ *huius Eſſentiæ* in aurem, vbi ſedes dolorum eſt, immittuntur, idque, neceſſitate ſic In doloribus dentium.

poſtulante, poſt duas horas vel citius iteratur.

§. XVII.

Vſus illius generalis.

In quibus morbis et adfectibus *Eſſentia dulcis* porro adhiberi queat, non pluribus heic exponemus, referentes nos ad ea, quæ iam ſupra §. II. ſunt memorata. Nimirum nullus eſt morbus, in quo *Eſſentia dulcis*, propter eximiam roborandi virtutem, non commode adhibeatur. Quare et in ſequentibus, cum de vero ac iuſto reliquorum medicaminum vſu exponemus, frequentiorem eius mentionem faciemus.

§. XVIII.

Obſeruatio ſpecialis de ſecuro eius vſu.

Sine vllo autem vel temperamenti, vel ætatis diſcrimine, adeoque a iunioribus ſenibusque, ne exceptis quidem infantulis, nuper in lucem editis, a maribus et feminis, omnibus anni temporibus, æſtate atque hieme, diebus etiam canicularibus, quibus alias ab vſu medicamentorum abſtinetur, omni cum ſecuritate ac fiducia ſumi poterit hoc medicamentum.

§. XVIIII.

Quo cum vehiculo ſumatur?

Ordinarie ſumitur cum vino; ſi tamen dubium de hoc exſiſtat vehiculo,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0044-8

culo, ſubſtituere cereuiſiam, iuſculum, aquam deſtillatam vel communem, et ipſum quoque lac licebit.

§. XX.

Doſis pro adultis ſunt guttæ ordinarie decem, duodecim, vſque ad quindecim, in morbis quidem communibus: in grauioribus autem diuque inueteratis, ad vigintiſumi poſſunt. Infantulis, haud ita pridem natis, duæ; firmioribus tres, ſex, vſque ad octo ſufficiant. Quanta doſis.

§. XXI.

Pro temporis ratione, quatuor, trium, duarum horarum interiectu, et in caſu neceſſitatis ſingulis horis ſemel vel bis, ſine formidine noxæ ſumetur. Quo magis enim eius vſus frequentatur, eo facilior eſt effectus; ſiquidem ea bonitate eſt hoc medicamentum, vt non facile in modo peccetur; cum omne emolumentum verioris vſus in eo conſiſtat, vt ſæpius repetatur et vna doſis alteri manum quaſi porrigat. Vbi tamen hoc obſeruetur diſcriminis, vt in frequentiore vſu doſes minuantur, exceptis illis caſibus, in quibus præſentiſſimum Quoties vſus eius iterandus.

mum periculum ob oculos verſatur; tum enim doſes maiuſculæ vſque ad viginti guttas, aliquot vicibus continuis dentur, ſi vel bis per horæ ſpatium ægroto ſint porrigendæ.

§. XXII.

Quid faciendum, ſi dolores augeantur.

Quod ſi contingat in certis morbis, vt inter vſum huius *Eſſentiæ* dolores oboriantur, quod nonnunquam in contractura fit; continuandum nihilo minus erit, et nequaquam deſiſtendum. Sin operatio ſit vehementior, ac dolor minus tolerabilis: vſus eius ad tempus intermitti ac deinde rurſus iterari poteſt.

§. XXIII.

Item, ſi obſtructiones maneant.

Id quoque generatim notandum eſt, ſi ægroti alui difficultate vel obſtructione laborent, eaque inter huius *Eſſentiæ* vſum non tollatur: tum aliquod laxans v. g. pilulas contra obſtructiones, aut polychreſtas, aut ſimile quiddam, rhabarbaram, ſennæ folia, aliaque in ſubſidium adhibenda eſſe.

§. XXIIII.

Porro, ſi patientes ſanguinem mittere

Qui ſanguinem mittere ſiue per venæ inciſionem, ſiue per cucurbitulas, quam ſcarificationem vulgus adpellat,

lat, conſueuerunt, illis vtrumque erit ſuo tempore iterandum, ſi optatum effectum a medicamento exſpectare velint. Idque tanto magis, ſi alii fluxus ſanguinis, vt hæmorrhagia narium, hæmorrhoides, menſes, ſimilesque ceſſare ſentiantur.

conſueuerint.

## §. XXV.

Si qui morbi admodum ſunt doloroſi, eaque de re celeriorem medicinam poſtulant: e. g. dolores calculi, ſuffocationes, paſſiones hyſtericæ, partus difficilis, dolores poſt partum, retentio ſecundinarum, obſtructio ſanguinis in puerperis et nimius illius fluxus, arthritis, dolores dentium et aurium, inflammatio renum, vlcera, vehementes vomitus et ſimiles adfectus; decem vel duodecim guttæ, per dimidium horæ interuallum, aut cum vino, aut cum cereuiſia, aut cum aqua deſtillata vel communi, ægrotis dentur, idque tamdiu continuetur, dum ſudor ſequatur lenis ac moderatus; aut maior impetus morbi remittat et dolores paullatim minuantur; aut alia quædam mutatio in melius animaduertatur. Tum enim ſatis erit,

Admonitio de morbis doloroſis.

*Eſſentiæ*

*Eſſentiæ* vſum quater vel quinquies per diurnum ſpatium repetere et ad plene recuperatam vſque valetudinem continuare.

§. XXVI.

De minus doloroſis.

In morbis, qui nullis cum doloribus ſunt coniuncti, non opus eſt medicationem feſtinare. Sufficit, ſi *Eſſentia dulcis* quatuor vel quinque diei temporibus, vel ſex etiam, quod inprimis in adfectibus apoplecticis ac paralyticis, item vertiginoſis fiat, mane circa quintam et octauam, ante meridiem circa decimam, poſt meridiem autem circa tertiam et quintam, et veſperi ante ſomnum adhibeatur: eaque methodo ad aliquod tempus ſine intermiſſione continuetur, donec ægroto plena valetudo redeat.

§. XXVII.

Vſus in morbis remittentibus.

Quando morbis ſua ſunt interualla atque paroxyſmi poſt moras redeunt, vti epilepſia, palpitatio cordis, paſſiones hyſtericæ, vomitus cruentus, nimius hæmorrhoidum et menſium fluxus, nec non obſtructio eorundem, fere eadem methodus adhibetur, hoc tamen diſcriminis tenendum eſt,

vt

vt vſus medicinæ præcipue ſub paroxyſmi tempus, et cum maxime ægrotus adfligitur, crebrius repetatur.

In morbis, in quibus acceſſionis tempus accurate præſcitur, vſus *Eſſentiæ dulcis* tres vel quatuor horas anticipetur, et deinde, durante paroxyſmo, per dimidiata horæ ſpatia, in doſi decem vel duodecim guttarum tamdiu repetatur, donec fiat remiſſio. Si vero poſtea quoque, quam receſſit impetus, tres aut quatuor horas frequentetur vſus: auxilium hinc eo eſt certius, in iis præſertim caſibus, in quibus inter paroxyſmi tempus, nihil medicamentorum ægrotis adplicari poteſt; quod in his, qui morbo epileptico corripiuntur, haud infrequenter contingit.

Quando tempus paroxyſmi præſcitur.

Sin autem tempus, quo ea viciſſitudo accidit, aut prorſus ignoretur, aut dubie tantum præcognoſcatur: tum quidem medicamentum exhibeatur, quando paroxyſmi reditus forte exſpectatur, aut quo diei tempore acceſſio fieri ſolet.

Quando idem ignoratur.

§. XXVIII.

Qui de *Eſſentia dulci* plura doceri cupit,

Lector ad a-

lium tractatum remittitur. cupit, ille adeat, ſi placet, tractatum noſtrum, de *Eſſentia dulci* ſeparatim ſcriptum, videatque exempla, quæ collecta ſunt memorabilia; item quæ in tractatu *Erkentnis des Menſchen nach dem Leibe und natürlichen Leben, etc.* i. e. *Cognitio hominis, ſecundum corpus et vitam naturalem conſiderati*, huc pertinentia habentur.

## *CAPVT SECVNDVM*
### DE
# ESSENTIA AMARA.

§. I.

Eſſentiæ amaræ conſtitutio et proprietas. ESSENTIA AMARA conſtat ex vegetabilibus amaris, reſolventibus, antiſcorbuticis, tonicis et balſamicis. Proprium eius eſt ſanguinem purificare, in iis potiſſimum morbis atque adfectibus, qui a ſcorbuto proficiſcuntur.

§. II.

Illius vſus. Tribus illa vel quatuor per diem interuallis ab ægrotis accipi poteſt, iuncto ſemel atque iterum per hebdomadem pilularum polychreſtarum

vſu: qui tanto magis eſt neceſſarius, quanto durior alui forte erit obſtructio. Si ad hanc obſtructionem præternaturalis etiam accedat calor, vna vel altera doſis pulueris bezoardici, quotidie ſumendi, in auxilium veniat.

§. III.

In adfectibus vlceroſis ac madentibus, purulentis, in ſcabie, fluxu aurium, cruſta lactea, (vbi capillos infectos neceſſum eſt euellere,) lue venerea, gonorrhœa, fluore albo, et his ſimilibus aliis, *hæc Eſſentia* bono ſucceſſu adhibetur: ſumto inſuper binis per hebdomadem temporibus puluere laxante. In adfectibus vlceroſis, etc.

§. IIII.

Opponitur illa etiam, non ſine inſigni effectu, *flatibus*, inflationibus, tumoribus ventris: ſedatque dolores colicos, vomitus, diarrhœas ac dyſenterias, a fellis acredine concitatas. Quamquam et in hoc caſu puluis antiſpaſmodicus aut bezoardicus cumprimis vtilis eſt: atque hi tutius quoque adhibentur, ſi præſertim incommoda, quæ memoramus, a concitato In flatulentiis, etc.

ſanguinis motu aut adfectibus hypochondriacis ortum nanciſcantur.

§. V.

In adfectibus apoplecticis.

Quodſi contingit, vt homines phlegmatici adfectus *apoplecticos* patiantur: *Eſſentia amara*, cum *Eſſentia dulci* ſæpius vſurpata, opem feret optatam. Vbi tamen id maxime erit videndum, ne aluus obſtruatur.

§. VI.

In ſtomachicis.

Eſt *hæc Eſſentia* medicamentum quoque ſtomachicum. Medetur enim debilitati et doloribus ſtomachi; ita quidem, vt omnes cruditates, ſiue acidas ſiue nidoroſas, in ventriculo contentas, ſubigat, tollatque vitium malæ concoctionis, et appetitum proſtratum corrigat: ſi nimirum inter prandendum et cœnandum quadraginta vel quinquaginta eius guttæ cum vitro vini aut cereuiſiæ ſumantur.

§. VII.

In febribus continuis et intermittentibus.

Quos febres continuæ et præcipue catarrhales vrgent, his *Eſſentia amara* pro alexipharmaco eſſe poterit. In febribus autem intermittentibus, illo quidem die, qui liber eſt a paroxyſmo,

ſmo, inter prandium vel cœnam; die vero paroxyſmi poſt impetum ſuperatum, prouocandi ſudoris gratia accipiatur.

§. VIII.

In grauedine ac tuſſi, quæ vel ex materia tenaci ac pituitoſa in pectore, vel ab acredine, ex capite deſtillante, oritur, pariter locum habere poteſt *Eſſentia amara:* ſic tamen, vt interdum vna quoque doſis pulueris contra acredinem adſumatur. In adfectibus pituitoſis.

§. VIIII.

Quis gingiuæ vitiis laborat, vt inde vel os fœteat, vel illa ſæpius cruentetur: is nonnihil *huius Eſſentiæ* in cochlear infundat et mane gingiuam eo lauet, aut melli roſaceo partem admiſceat, eoque mundet dentes. In vitiis gingiuæ.

§. X.

Vſus *Eſſentiæ huius* pro ratione morbi aut per quæuis duarum horarum ſpatia, ſi morbi vis id poſtulet; aut per longiora interualla, quarta nimirum aut ſexta quaque hora, ſi leuior ſit impetus, repetatur. Qualis vſus eſſe debeat.

§. XI.

Adultis 40 guttæ; iunioribus 16 circi- Quanta doſis.

circiter annorum, 20 aut 30; pueris 15 vel 18; paruulis autem infra tertium annum 7 aut 10 pro doſi ſufficient: quæ vel cum lacte, vel cum cereuiſia, vel cum vino, vel cum iuſculo imbibantur.

§. XII.

Virtus eius augeri poteſt.

Si quis virtutem *huius Eſſentiæ* exaltare atque augere velit, illam cum *Eſſentia dulci* commiſceat et ad ſemivnciam *amaræ* vnam drachmam *dulcis*, aut duas, ſi mauult ac res poſtulat, adiiciat. Quod vbi factum, doſis nihilo minus retineri poterit, quæ ordinarie eſt præſcripta.

## *CAPVT TERTIVM*
## DE
# ESSENTIA ANTHYPOCHONDRIACA.

§. I.

Quas partes purget et aperiat.

HAEC ESSENTIA primum quidem *lieni* purgando atque aperiendo accommoda eſt: deinde eumdem quoque effectum prodit in

in aliis corporis partibus internis, quæ aut ſpiſſitudine ſanguinis aut muci tenacitate grauantur; vtpote quæ mala *Eſſentiæ huius* vſu atque efficacia reſolui egerique per aluum ſolent.

§. II.

Atque *hæc Eſſentia* tum quoque, cum adhuc recte valemus, et quidem loco *purgantis* cuiusdam, ſed multo commodius, quam alia id genus medicamina ſumi, eiusque virtute, ſi quod morbi graſſatur contagium, præuerti facile ac feliciter poteſt. Commendatur eriam valentibus.

Quia vero apud ſanos tardior ſolet eſſe, quam apud ægrotos effectus, eo, quod natura extra morbi ſtatum non tam facile ſentit ac percipit: doſes illi non nihil augeant et pro 40 ſumant 50 vel 60 guttas *huius Eſſentiæ*, idque poſt duarum horarum interualla continuent, donec alui deiectio ſequatur. Cui placet pridie ante ſomnum pilulas polychreſtas ſumere et poſtridie mane *Eſſentia* hac *anthypochondriaca* ad 60 guttas vti, effectum eius celeriorem habebit atque optatiorem. Illius doſis.

§. III.

Effectus in febribus tertianis.

Optimo pariter ſucceſſu *hac Eſſentia* vtantur illi, qui febribus tertianis aut quartanis laborant: tum enim, præſertim diebus a paroxyſmo vacuis, commodum hoc erit pro deiiciendis impuritatibus remedium. Franguntur autem facilius citiusque febrium vires, ſi illius vſus per dies aliquot liberos continuetur. Si minus e re videatur eſſe, vſum *huius Eſſentiæ* diutius perſequi: tribus deinceps per diem temporibus pulvis bezoardicus ſubmittatur, idemque die paroxyſmi redeunte, ſemel aut bis paroxyſmo præmittatur.

Quæ cautio adhibenda.

Cumque maxima vis caloris fracta eſt, tum 40 ſumantur guttæ de *Eſſentia amara*, et qui ſequitur ſudor, intempeſtiua refrigeratione non impediatur, ſed potius leniter promoveatur.

§. IIII.

In petechialibus.

In febribus petechialibus aliisque malignis et continuis, in quibus ægrotos multum diuque exercuerunt alui obſtructiones, ſiue furor ac delirium acceſſerit, ſiue lethargus alia-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0056-5

aliaque ſymptomata periculoſa: hoc medicamentum ſæpius euidentiſſimum ægrotis auxilium, ſaltem initium rectioris valetudinis, poſt breue horarum ſpatium attulit. Dum enim aluum ſine moleſtia aperuit, morbi vis infracta eſt ſubito, ſimulque diſcuſſæ ſunt magnæ illæ in capite congeſtiones. Deiicit nempe materiam febris per aluum, et quidem ſine vlla periculi formidine, aut concitatò ſanguinis motu, vnde alias febri plus noxæ quam ſalutis accederet. Quæ etiam res eſt, cur nullus heic facile locus aliis purgantibus ad hunc finem concedi queat: niſi ægrotantem præſentiſſimo vitæ periculo exponere velis; dum vel conuulſiones vel alia grauia ſymptomata plerumque conſequuntur.

§. V.

Hac de cauſſa medicamentum hoc ante aliquot annos, cum paſſim peſtilentia ingraueſceret magna hominum cum ſtrage, optimum et prorſus ſingularem ſucceſſum ex diuina quadam benignitate habuit: vnde et apud quosdam nomen *Eſſentiæ Antipeſti-* In peſtilentia.

*tipeſtilentialis* ſeu, vt puriore, quamvis græco, vocabulo vtamur, antilœmiacæ ſortitum eſt. Quando autem talis modi febres non incipiunt ab alui obſtructione, vſum quoque in iis *hæc Eſſentia* habebit nullum. Hoc enim caſu conſultius eſt, eadem adverſus memoratas febres methodo procedere, quæ infra, cum ad vſum pulueris bezoardici deueniemus, commendabitur. Si ægroti tuſſi adfliguntur, aut a variolis et morbillis impetuntur: tum pariter hoc medicamentum ceſſabit; etiamſi morbus cum alui obſtructione incipiat.

In quibus non habeat locum.

§. VI.

Vſus illius in malo hypochondriaco.

Præcipuus eius vſus eſt in malo hypochondriaco et melancholia hypochondriaca, in vertigine, cephalalgia ſeu capitis dolore et paſſionibus hyſtericis.

Commendatur etiam in palpitatione cordis, flatulentia, ab ebullitione ſanguinis eiusque libero impedito motu oriunda: nec minus in fluxu menſium, aut retento, aut imminuto, aut obſtructo; item in obſtructione hæmorrhoidum, adfectibusque

buſque omnibus inde dependentibus. In quibus *hæc Eſſentia* duobus aut tribus per hebdomada diebus ſumi poteſt, ſi cæteris modo diebus illud diligenter curetur, ne aluus denuo obſtruatur: quod tamen ſi contingat, adeoque neceſſitas vrgeat, ad pilulas contra obſtructiones confugium eſſe poteſt.

Quid cavendum.

§. VII.

In adfectibus œdematoſis, cum partes corporis ab aqua intercute valde intumeſcunt, vſus *Eſſentiæ huius* et pilularum polychreſtarum alternari poteſt: ita quidem, vt quatuor vel quinque dies continuos pilulæ polychreſtæ accipiantur, et deinde alios aliquot *Eſſentia anthypochondriaca* interponatur.

In adfectibus œdematoſis.

§. VIII.

Furioſi ac maniaci aliquanto fortius ſunt adgrediendi, iisque vna doſi 60 vſque ad 80 guttæ, cum aliquot cochlearibus cereuiſiæ vel aquæ communis porrigendæ, vel vi infundendæ: idque ſingulis horis tam diu eſt continuandum, donec iis aluus cum multa deiectione ſoluatur. His

Quomodo furioſis adplicanda.

enim non nocebit, ſi vel 20 ſedes per aliquot dies continuos inde habuerint. Quo facto, vſus in aliquot dies intermittatur, ac deinde rurſus continuetur. Si nolunt ſumere medicamentum, cogendi ſunt, vt ſumant, vti modo diximus. Tali ratione plures, quod diuinæ tribuendum benignitati, ex hoc miſerabili ſtatu ſunt liberati et ad bonam valetudinem reducti.

§. VIIII.

Quanta doſis.

Prouectioris qui ætatis ſunt, 40 guttas; pueri duodecennes 20 ad 25; nouennes 15; puelli bimuli, trimuli ac quadrimuli 8 aut 10 guttas pro doſi cum vno cochleari aut duobus cereuiſiæ vel aquæ communis ſumant.

§. X.

Quid in vſu obſeruandum.

De ipſo vſu hæc probe ſunt obſeruanda: primum, vt vitrum ante, quam doſis aliqua datur, diligenter moueatur; quia ſedimentum deponit in fundum vitri, ſi aliquamdiu ſteterit. Deinde, vt vſus medicamenti per duarum horarum interualla, et quidem eo vſque repetatur, dum ægrotus aluum habeat laxam,

et

et ſedes minimum tres aut quatuor. Denique, vt inter vſum frequens ſit potus, eoque medicamenti operatio adiuuetur ac promoueatur.

§. XI.

Si ſatis deſediſſe videatur ægrotus, ceſſet vſus medicamenti pro eo quidem die: per ſequentes autem dies mane tantum et veſperi repetatur, et aluus molliter ducatur, ne ad priorem duritiem ſubito redeat. Quod quidem ſi non ſufficiat nonnullis, a meridie circa quartam medicamentum iterum ſumere licebit. Quid porro obſervandum.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

## *CAPVT QVARTVM*
## DE
# PILVLIS POLYCHRESTIS.

§. I.

HAE PILVLAE etſi ab omnibus indiſcriminatim ſumi poſſunt, idque maxima cum vtilitate, quandoquidem ſanguinem, caput et ventriculum depurant, lienem- Vtiles ſunt præcipue feminis.

nemque aperiunt: tamen præcipue *feminis* optatiſſimum præſtant atque efficaciſſimum medicamentnm.

§. II.

Earum virtutes. Inſeruiunt illæ ſanguini depurando a particulis acidis, ſcorbuticis ac mucoſis: attenuant enim et reſolvunt mucoſitatem ſanguinis, illamque per aluum et vrinam exterminant. Vſus. Ad hunc finem obtinendum bis aut ter per hebdomadem ante ſomnum nocturnum viginti capiantur *Pilulæ polychreſtæ:* ſequatur reliquos dies vſus Eſſentiæ amaræ inter prandium et cœnam; et ſub ſomni tempus detur Puluis antiſpaſmodicus. Moderata corporis motio ſi coniungatur, effectus medicamenti promouetur tanto certius.

§. III.

Commendantur in morbis ventriculi. Roborant *hæ Pilulæ* ventriculum, ideoque variis adfectibus ex ventriculo oriundis, vt ſunt cardialgia, crebrique ructus ac flatus, multo vtiliſſime opponuntur. Faciunt etiam aduerſus dolores capitis, ex ventriculo originem habentes. Sumatur doſis earum ſub noctem ante ſomnum,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0062-8

ſomnum, et iungatur vſus pulueris antiſpaſmodici ante prandium et cœnam.

§. IIII.

Aduerſus vacuos vomendi conatus nimiosque et vehementes vomitus *Pilulæ polychreſtæ* ita exhibeantur: Infundantur 20 pilulæ cum pauxillo cereuiſiæ vel aquæ communis cochleari, et ſoluantur conterendo ſuper candentibus prunis vel ſuper candela; deinde diuidatur ſolutio in duas æquales partes, quarum vna ſtatim, altera poſt dimidium horæ ſpatium porrigatur. Et licet forte ægrotus medicamentum per vomitum reddat: aliquid tamen ex iſtis ſolutis pilulis retinebit, quod conatum vomendi coerceat. Admonendus autem eſt ægrotus, ne bibat vel nimis frigide vel ſtomachum magnis hauſtibus oneret. Si materia, quæ vomitu profertur, multum acredinis habeat: neceſſe erit ægroto vnam vel alteram doſin pulueris contra acredinem exhibere. Sedato vomitu, nihilo minus vſus *Pilularum* per aliquot inſuper veſperas continuabitur.

In vacuo vomendi conatu et quo modo.

§. V.

§. V.

Nec non in flatulentiis.

Magnus etiam eſt *harum Pilularum* vſus aduerſus flatus, ſingultus, tormina ventris, paſſiones colicas, diſtenſiones lumborum, dolores dorſi et oſſis ſacri: vbi itidem puluis antiſpaſmodicus commodiſſime in auxilium adhibetur.

§. VI.

Admonitio de illarum effectu proprio.

Omnium maxime illud hoc loco eſt monendum, ne quis *haſce Pilulas* pro purgantibus habeat, aut putet, idem his intendi pilulis, quod aliis purgantibus vulgo intenditur. Hac enim potiſſimum de cauſſa inuentæ ſunt *hæ Pilulæ*, vt earum ope ſanguis *depuretur*, viſcera interna *roborentur*, et motus humorum inordinatus compeſcatur. Tantum igitur abeſt, vt ventriculo vel inteſtinis ſint adverſæ; vt potius tunc ſint vtiliſſimæ, cum quis vehementiori quodam purgante vel vomitorio varia ſibi incommoda cumulauit: hoc enim caſu eueniente, *Pilulæ* per aliquot dies circa tempus veſpertinum ſalutari cum efficacitate reſumentur.

## §. VII.

Qui *his Pilulis* vel ad depuratio- nem ſanguinis vel tamquam purgan- te ordinario vti volet: ille harum vſum quotidie ad octauum vſque vel decimum diem repetiturus, quod in votis habet, facilius conſequetur et felicius, quam ſi aliud purgans fortius ſumſiſſet. Quamdiu vſus conti- nuandus.

Qui aliquanto vehementius aluum concitare intendit: ille veſpertino tempore *has* capiat *Pilulas* et poſtero die quadraginta vel quinquaginta guttas eſſentiæ anthypochondriacæ adſumat: aut, ſi libet, licet pilula- rum purgantium vſum, poſtquam *polychreſtis* per aliquot dies vſus eſt, interponere, vt mucus, qui paſſim viſceribus adhæſit, eo melius dedu- catur. Maxime in conci- tanda aluo.

Illud etiam commodi habent *hæ Pilulæ*, quod poſt illarum vſum nul- læ alui obſtructiones ſequantur: id quod aliis purgantibus perquam eſt familiare et vſitatum.

## §. VIII.

Quodſi in febribus continuis, mor- billis, variolis, ſimilibusque morbis, In quibus morbis la- xantis vi-

aut

cem ſuſtinere poſſint. aut in feminis, vterum ferentibus, e re eſſe iudicatur, aluum relaxare; illud *harum Pilularum* vſu multo tutius fiet, quam alio quocunque remedio; cum ab *his Pilulis* minime concitetur ſanguis, vt augmentum aliquod febris aut maior ſanguinis impulſus idcirco timeri debeat.

§. VIIII.

Vtiles etiam in alui fluxibus. In omnibus alui fluxibus, in diarrhœis, in paſſione cœliaca, cum cibi ſemicrudi deiiciuntur, in lienteria, cum plane iidem per aluum redduntur; in dyſenteria, cum cruenta excernuntur, quæ adſumta intra corpus fuerant, optimo cum ſucceſſu *hæ Pilulæ* adhibentur, neque quicquam aduerſi a continuato earum vſu eſt timendum. Qui ab his morbis inuaduntur et vexantur, *Pilulas polychreſtas* ſemel per diem ſumant; addantque quotidie vnam vel alteram doſin pulueris contra acredinem, (qui etiam vtiliter cum æquali pondere radicis gentianæ rubræ commiſceri poteſt,) item vnam pulveris bezoardici; ſic dolores ſubinde minuentur, fluxus ſanguinis paullatim

tim cohibebitur, vſque dum plane deſinat, diarrhœa ceſſet et ægrotus ſanitati reſtituatur.

§. X.

Præterea medentur *Pilulæ polychreſtæ* omni generi œdematum ſeu tumorum: efficaciter adhibentur in cachexia, hydrope, anaſarca, ictero. Dantur illæ talibus ægrotis quotidie circa veſperam: interdiu vero ſemel atque iterum puluis antiſpaſmodicus, vel eſſentia amara porriguntur. In curando ictero addi poteſt vſus tincturæ rhabarbaræ, aliquot diei interuallis iterandus. et omnis generis tumoribus.

§. XI.

In primis merentur *hæ Pilulæ* commendari *feminis:* vtpote quibus admodum vtiles ſunt contra quoscumque ſui ſexus morbos et adfectus; ita quidem, vt alia medicamenta hac in parte cum iisdem vix, immo ne vix quidem, comparari poſſe veriſſime dicamus. Speciatim in adfectibus mulieribus.

§. XII.

Si menſium fluxus in feminis *iunioribus*, iuſto, quo debet, tempore non eueniat, aut ſanguis non in iuſta In vitiis menſium.

quantitate euacuetur; aut, ſi plane iterum obſtruatur, vnde multa grauia ſymptomata, paſſionum hyſtericarum nomine, tormina, nauſea, adpetitus proſtratio, vomitus, tuſſis, inflatio lienis, palpitatio cordis, conſtrictio et anguſtia pectoris, præcordiorum anxietas, laſſitudo pedum, dolor capitis, ſenſus frigoris in capite, inflammationes, inflationes faciei, œdemata manuum pedumque, hydrops, cætera, oriuntur: contra omnes hos naturæ errores atque defectus hæ *Pilulæ polychreſtæ* multum præualebunt.

*Feminæ*, fluxum menſium nondum expertæ, vſum *harum Pilularum* duobus ante vel tribus diebus, quam nouilunium ſequitur, quo potiſſimum tempore aduentante, natura ſanguinem in iuuenibus ad excretionem impellere ſolet, auſpicentur, repetantque eum dies adhuc quinque aut ſex continuos: intra quos ſingulos puluis etiam antiſpaſmodicus iteratis vicibus adſumatur.

Quoniam vero effectus non ſemper primo ſtatim tempore, quo medicatio

dicatio inſtituitur, reſpondet: hæc medicandi ratio ſub nouilunii reditus iterum iterumque repetenda erit, vſque dum ſequatur ordinatus menſium fluxus. Interea vero temporis conſultum fuerit, vt illæ aliquando, nempe vna per hebdomadem vel altera vice, eſſentia anthypochondriaca vtantur: quo aluus *harum Pilularum* beneficio aperta ſatis et laxa ſeruetur. Alui enim obſtructiones numquam non illis nocent feminis, quæ menſium vitiis laborant.

§. XIII.

Quando adſuetus menſium fluxus aut imminutus nimium eſt, aut omnino obſtructus: eadem medicandi methodo procedatur. Id autem inſuper eſt notandum, ſi fluxus eiusmodi reuocandus ſit, atque ad iuſtam corporisque conſtitutioni aptam rationem perducendus, hoc negotium eo tempore, aut paucis diebus ante ſuſcipiendum eſſe, quo illud natura antea ſuſcipere conſueuit, vel quo natura illud maxime, vt ſanguis euacuetur, moliri ex concurrentibus ſignis obſeruatur.

Quid in reuocando menſium fluxu obſeruandum.

Sin autem de tempore nihil certi conſtat, id quidem agendum erit, vt ante et ſub nouilunium ac plenilunium *Pilulæ polychreſtæ* quater vel quinquies capiantur: non enim tempore importuno (quod ſine diſcrimine et damno non fieret) concitari debet ſanguis.

§. XIIII.

Nota ſpecialis de feminis plethoricis.

In feminis plethoricis et abundantia ſanguinis laborantibus conſultum ducitur, vt iis, inſtante tempore, quo menſes exſpectant, vena in pede ſecetur.

Sicut autem hæc mala plerumque vitæ ſedentariæ et parciori potui debentur; quippe quæ non poſſunt non ſanguinem generare ſpiſſiorem: ita mulieres adfectæ ſedulo admonendæ ſunt, vt corpus ratione quadam ipſis minus moleſta, e. g. quotidie per quadrantem vel dimidium horæ ligna diſſecando cæt. laborioſe, moderate tamen, moueant, ſufficienterque bibant. Maior enim eſt huius rei neceſſitas, quam pauciſſimi opinantur. Quid? quod interdum omnis fere ſpes auxilii tollitur,

litur, vbi ea, quæ ad motum potumque pertinent, minus ſtudioſe obſeruantur: quoniam ſola medicina id præſtare non poteſt, vt ſanguis a ſpiſſitudine iſta ad tenuitatem reducatur. Vſui his quoque ſunt balnea et pediluuia, ita tamen inſtituenda ac moderanda, ne qua ſanguinis ebullitio, ſi forte aqua nimis ſit calida, concitetur, vtpote quod illis minime prodeſſet.

§. XV.

Si quæ nimio menſium laborent fluxu, dum vel nimis copioſus contingit, vel cum fruſtorum coagulatorum excuſſione coniunctus eſt, vel iuſto diutius durat; ita, vt virium debilitatio et corporis languor ſequatur: tum ita ſuſcipiatur medicatio, vt inſtante ſanguinis fluxu aut dies aliquot ante, vna doſis *Pilularum polychreſtarum* exhibeatur, et ter aut quater ſingulis diebus de puluere antiſpaſmodico; idque ad ſextum vſque diem continuetur. Omnibus ſanguinis profuſionibus, leges naturæ ac modum excedentibus, *Puluis niger* etiam, ſemel atque ite-

Quo modo iis vtendum in nimio menſium fluxu.

 rum

rum ſumtus, optatum præſtare ſolet effectum. Præterea monendæ ſunt, quæ nimiis huiusmodi hæmorrhagiis adfliguntur, vt nonnumquam ſanguinem, et quidem ſufficienter, ad ſex vncias vſque, mittant per venæ in brachio inciſionem.

§. XVI.

Nec non in abortu.

Feminis, quibus fœtus, quem geſtabant, ante tempus expellitur, vſus *harum Pilularum* commendatiſſimus eſſe debet. Cum enim abortum vnum quam facillime, poſt iteratam conceptionem, plures conſequi ſoleant: conſultiſſimum eſt, vt primo ſtatim poſt abortum die vſum *Pilularum polychreſtarum* incipiant et illius per octiduum continuatione vterum bene expurgent, vt ita molarum etiam, aliæque huius generis informes concreſcentiæ impediantur. Repetatur *Pilularum* vſus, quoties tempus menſtrui fluxus recurrit, vt, ſi forte quid impuritatis in vtero retentum fuerit, expellatur. Circa tempus, quo antea abortum experta eſt grauida, præſertim plethorica, venæ ſectionem in brachio admittat, ne

ne ſanguinis turgeſcentiæ inordinatis commotionibus anſam præbeant. In diæta autem ſit moderata, et a vehementioribus animi pathematibus ſedulo ſibi caueat.

Sin autem nihilo minus qnædam animaduertat ſymptomata, vnde periculum eſſe poſſit: ternis quotidie doſibus pulueris antiſpaſmodici, et frequenti eſſentiæ dulcis ac pulueris vitalis vſu illud præuertat.

§. XVII.

In ipſo partu hoc præſtant *Pilulæ polychreſtæ*, vt dolores vagos ſpuriosque ſedent et diſpellant, vtiles vero et ad fœtum expellendum neceſſarios concitent ac promoueant. Vna igitur doſis *harum Pilularum*, in aqua deſtillata vel communi contrita, vt eo citius operentur, parturienti feminæ porrigatur. A pellentibus autem calidis et ſanguinem fortiter commouentibus medicamentis, quibus heic vulgo vti ſolent, parturientes omnes diligenter ſunt præmonendæ: ſiquidem ea, experientia teſte, plurimum ſæpe damni intulerunt in partu laborantibus. Et in ipſo partu.

§. XVIII.

Quem vſum præbeant puerperis poſt partum,

Apud puerperas *Pilulæ polychreſtæ* iſtud efficiunt, vt nimium ſanguinis lochialis fluxum temperent et ad iuſtam proportionem redigant: Contra promouent eædem neceſſariam eius excretionem, expellunt leniter ſecundinas, in vtero retentas; et præſtant alios ſalutares inſuper effectus, tam in doloribus poſt partum diſſipandis, quam in multis aliis ſymptomatibus, quæ puerperis ſæpiſſime exitialia eſſe ſolent, præcavendis atque declinandis. *Puerperis* igitur quam maxime eſt commendandum, vt illas vel quotidie, dum fluxus ſanguinis continuatur, adſumant. Quicquid etiam aduerſi ipſis contingere poteſt, ſiue ab iracundia et pauore, ſiue a frigore, ſiue ab aliis cauſſis; id omne *harum Pilularum* virtute ſic auertetur, vt nihil poſtea reſtet, quod metuant; cum quidem alias facile accidat, vt turgidum inde atque intumeſcentem vterum retineant.

Quando *puerperæ* anxietatibus et anguſtiis circa præcordia premuntur,

tur, aut effuſiorem lochiorum fluxum experiuntur; aut quando fluxus eorum intempeſtiue obſtruitur; aut ſanguis grumoſus retinetur, et in concreſcentias membranoſas, quæ vterum præcludunt, compingitur; vnde varia, moleſta admodum et difficilia, ſymptomata oriuntur: per frequentem *harum Pilularum* vſum, a diuino numine fortunandum, morbi cauſſa ſublata, priſtinæ reſtituentur ſanitati. Concurrente magna ſanguinis ebullitione, vna vel altera doſis de puluere antiſpaſmodico et bezoardico quotidie interponi poteſt.

§. XVIIII.

Quodſi ex certis indiciis alicui feminæ conſtat, ſe non verum fœtum, ſed molam geſtare: illa confugiat ad *harum Pilularum* vſum, ſumatque quotidie doſin, per octiduum continuando; poſt menſis autem decurſum illarum vſum denuo repetat et eadem methodo procedat, qua menſes per medicamenta reuocari poſſe diximus §. XII. molam gerentibus,

§. XX.

*Lactantibus* feminis *hæ Pilulæ* con- lactantibus

ducunt ad lactis emendationem: ſimiliter efficiunt, ne ira, terror, triſtitia, mœror et alia animi pathemata, quæ *lactantes* perpeſſæ ſunt, infantibus noceant. In ipſos etiam infantes *Pilularum* effectus redundat, dum inde laxantur, ſi matres lactantes iisdem vſæ fuerint.

§. XXI.

et infantulis.

Quando *infantuli* ſex vel duodecim hebdomadum torminibus, alui profuſionibus vomitibusque adfliguntur: illis vna vel duæ ex his *Pilulis polychreſtis* veſperi et mane infundantur, in aliquot guttis aquæ prius diſſoluendæ aut conterendæ; aut porrigantur *Pilulæ* ipſis matribus, infantes mammis nutrientibus, quemadmodum iam ſupra a nobis eſt monitum.

§. XXII.

Item in fluore albo,

In *fluore albo* probatiſſimum illæ ſunt remedium: in quo tam diu ſunt capiendæ, donec ille ſit ſublatus. Ne vero redeat, earum vſu, ſemel atque iterum repetendo, præcauebitur. Cum his autem *Pilulis* coniungi poterit eſſentia amara, aliquoties

ties per diem ſumenda. Si malum hoc ortum fuerit ab inquinamentis venereis, dicta remedia non ſemper omnem medicationem abſoluent: quare et puluis laxans, cum aliis infra laudandis medicamentis, in auxilium vocandus erit.

§. XXIII.

Quando ex obſtructione *hæmorrhoidum* vel ex nimio earum fluxu varia mala eueniunt: *his Pilulis* earundem fluxus vel reſtituendus eſt vel moderandus, ne ſiue defectu, ſiue exceſſu amplius peccet. His autem ſemper erit vſus pulueris antiſpaſmodici iungendus. et hæmorrhoidum vel obſtructione vel nimio fluxu.

§. XXIIII.

Contra ſi *hæmorrhoides* ſint *cœcæ*, quæ ſanguinem non effundunt, ſed eiusdem circa anum infarctu, tumentes et turgentes ingentibus doloribus, aliquando etiam inflammationibus, moleſtiſſimæ ſunt, harum pilularum non erit vſus: eo quod ſanguis concitatus, viis nondum apertis, exitum non inueniat, et fruſtraneus erumpendi conatus varias moleſtias inferre ſoleat. Quo in caſu Cur in cœcis non adhibendæ.

ſu *Tincturam* noſtram *Salis* commendamus, de qua ſub finem huius libelli breuis narratio ſubminiſtrabitur.

§. XXV.

nec in vomitu cruento.

In vomitu quoque vel mictu cruento ab illis abſtinendum eſt. In calculo, doloribusque inde oriundis, cautione opus eſt, ne ſæpius repetitæ calculum commoueant. Tuto autem vna alteraque doſis ſumi poteſt, et hoc eo ſecurius, ſi ægrotantibus duæ præterea vel tres pulueris antiſpaſmodici doſes in diem porrigantur, id quod omnem noxam auertet.

§. XXVI.

Doſis.

Doſis pro adultis erunt octodecim vel viginti Pilulæ; pro perſonis mediæ ætatis duodecim vel quindecim; pro iunioribus autem et ſeptennibus octo; infantulis pauciores ſufficient.

Quomodo in formam pulueris porrigendæ.

Qui pilulas auerſatur, illas vel conterere et in formam pulueris redigere, vel in paucula cereuiſia alioue liquore, ad calorem moderatum colliquare poterit et ad vſum ſuum accommodare.

CAPVT

## CAPVT QVINTVM
DE
# PILVLIS PVRGANTIBVS.

§. I.

CVM *Pilulæ polychreſtæ*, de quibus modo diximus, leniter tantum aluum ducant; in multis autem caſibus vtile ſit ac omnino neceſſarium, fortiori remedio rem agere, quo impuritates, a quibus periculum eſſe poteſt, reſoluantur atque deiiciantur: viſum eſt, in rem ægrotantium fore, ſi hoc pilularum genus adderetur. Cur hæ pilulæ ſint inuentæ.

Quarum quidem ea eſt natura ac virtus, vt mucoſitatem, in ventriculo et inteſtinis contentam, feliciter diſſoluant et per aluum eiiciant, idque ſine vllius nauſeæ aut torminum ventris excitatione: quod alia huius generis medicamenta, quæ corporis purgandi gratia dantur, vt plurimum facere ſolent. Quæ ſit earum natura et virtus.

§. II.

§. II.

Quando et quomodo ſumendæ.

Capiantur illæ veſpertino vel matutino tempore, et mane bibatur aqua cum Thée vel Coffée cocta, aut cereuiſia calida: quo ſic faciliori negotio et maiore quoque celeritate opus ſuum perficiant.

§. III.

Quanta doſis.

Quodſi homo adultæ ætatis viginti pilulas pro vna doſi ſumſerit, circiter ſex vel ſeptem ſequentur ſedes: pueris, annum agentibus duodecimum, duodecim et aliquot ſupra, ad quindecim vſque dentur.

## *CAPVT SEXTVM*

DE

# PILVLIS CONTRA OBSTRVCTIONES.

§. I.

Vſus et effectus harum pilularum.

HAE, quæ nominamus, *Pilulæ*, vſum habent in his præcipue, qui conſueuerunt durioribus ac pertinacibus *alui ſuppreſſionibus* vexari, cum illa vix ſemel poſt aliquot dierum

rum interuallum, et magna quidem cum difficultate ac moleſtiſſimo conatu, exoneratur. Vnde permulta valetudinis incommoda, qualia ſunt capitis dolor, vertigo, tinnitus aurium, inflammationes oculorum et vuulæ, flatulentia, tormina, colica, nauſea, vomitus, compreſſiones et anxietates præcordiorum, palpitationes cordis, cardialgiæ, qui dolores ſunt circa os ventriculi, ructus ex cruditatibus orti, ſoda, pleuritis, pauores dormientium, paſſiones hyſtericæ ſeu vterinæ, lipothymiæ, ſeu animi defectiones, reſpirandi difficultas, ſuffocationes, tuſſis ſicca, cætera, enaſcuntur: Alii vero morbi haud exigua inde quoque capiunt incrementa.

in morbis, qui ab obſtructionibus oriuntur.

## §. II.

Peſſimum in talis modi adſuetis *obſtructionibus* eſt, quod aluus in eiusmodi perſonis ſæpiſſime ne fortiſſimis quidem purgantibus ſoluatur. Si etiam vel maxime ſoluta ſit: illa mox tamen iterum, et multo quidem durius, quam antea, adſtringitur.

Cur aliis purgantibus præpolleat.

tur. Cum autem fieri non poſſit, aut debeat, vt ſingulis diebus nouæ purgationes, et præſertim fortiores, adſumantur: *hæ Pilulæ* aluum conſervabunt apertam, et id quidem ſine vllo incommodo ſanitatis. Hinc ſumi poſſunt quotidie, non facta prius intermiſſione, quam natura ad officium redierit iuſto tempore et modo excernendi, quæ excerni valetudinis ratio iubet. Id quod *his Pilulis* non intenditur tantum, ſed re etiam ipſa, continuato harum vſu, feliciter obtinetur.

§. III.

Ratio vtendi.

Poſſunt igitur *hæ Pilulæ*, ſi opus fuerit, per quatuordecim dies continuos ſumi. Tum vero ad vnum diem ceſſet vſus, fiatque periculum, num ſponte aluus ſuum poſthac facere velit officium. Quod ſi facit, non opus erit iſta quotidiana *Pilularum* continuatione: Sin minus, repetatur ad octo vel quatuordecim dies *Pilularum* vſus, videaturque deinde, vtrum nunc ſine iſto adminiculo alvus cieatur. Atque hoc eo vſque continuetur, oportet, donec natura

redacta

redacta ſit ad obſequium et conſuetudinem excrementa per aluum emittendi.

§. IIII.

Quod ſi aluus pertinacius ſit conſtricta, ita nempe, vt multis illa diebus debita non reddiderit: tum conſultius eſt aluum clyſtere prius emollire, et hoc facto, *Pilularum* vſum, qua præſcriptum eſt ratione, inchoare et continuare. Quando via paranda ſit per clyſterem.

§. V.

Admonendi autem ſunt illi, qui alui *obſtructionibus* laborare ſolent, vt non tantum inter *harum Pilularum* vſum, ſed extra illum quoque ſufficienter bibant et corpus moderato quodam labore vel deambulatione exerceant. Cuius admonendi ſint vtentes.

§. VI.

Capiantur autem duæ, tres vel ad ſummum quatuor *harum Pilularum* pro vna doſi, idque vel mane, vel hora vna ante prandium, vel inter prandium ipſum, vel inter cœnam, ſiue cum cereuiſia, ſiue cum vino, ſiue cum iuſculo. Vnam doſin vna ſequetur ſedes, ad ſummum Quot earum ſumendæ.

 duæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0083-5

duæ. Si validior ſit effectus et ſedes numeroſior: doſis erit imminuenda. Sufficit etiam aliquibus *Pilulæ* vnius tantum pars dimidiata ad naturalem alui apertionem procurandam. Illud enim hoc loco repetendum eſt, non eſſe *has Pilulas* eo fine ſumendas, vt aluus quaſi ex inſtituto purgetur, ſed vt in officio contineatur, et contra obſtructiones adſuetas ac diuturnas præſeruetur.

## *CAPVT SEPTIMVM,*
## DE
# PVLVERE BEZOARDICO.

§. I.

Huius pulveris virtutes.

HIC PVLVIS reſiſtit veneno, promouetque *ſudorem*, ita tamen, vt nulla ſequatur ſanguinis commotio aut vehementior æſtus. Neque autem, ſi quid impuritatis, præſertim bilioſæ, in corpore latet, id per ſudorem tantum, ſed per *vrinam* quoque expellere ſolet. Prodeſt

eſt etiam ventriculo, educitque blandiſſime per *aluum* cruditates, in eo contentas. Si quis tamen hunc in finem hoc puluere vti velit, ille pilulas polychreſtas ſimul in ſubſidium adhibeat oportet.

§. II.

In ebullitione ſanguinis, præſertim acrioris; in doloribus capitis atque oculorum inde prouenientibus; necnon in inflammationibus vuulæ et tonſillarum, in eryſipelis, hæmorrhagiis ſeu ſanguinis fluxionibus nimiis, ſpaſmis, artuumque doloribus, ternis quotidie vicibus *Puluis* hic *bezoardicus* capiatur. *Pilulæ* etiam *polychreſtæ*, tum præſertim, cum aluus concitanda eſt, commode inter huius pulueris vſum adhibentur. Quæ in ebullitione ſanguinis ſe oſtendunt.

§. III.

Corrigit autem *hic Puluis* præcipue acredinem bilis, ideoque maxime prodeſt *ſanguineis*, omnibusque iis, qui aut *cholera* aut *plethora* laborant. Quotiescunque igitur ſanguis a nimiis vel corporis vel animi commotionibus æſtuat, ſumatur *hic Puluis*, vt ebullitio ſanguinis ſedetur et Quibus maxime conducat.

 aluus

aluus aperiatur: ſiquidem tales ab obſtructionibus alui præſeruare ſolet.

§. IIII.

In febribus continuis quomodo hoc puluere vtendum.

Qui febribus *continuis*, petechialibus, aliisque malignis conflictantur, illis tribus per diem interuallis *Puluis bezoardicus* porrigatur. Si minus autem reſpondeant ſudores, vna inſuper atque altera doſis de Eſſentia amara aut de Eſſentia dulci adiicienda erit. Eo tamen tempore hoc fiat, quo æſtus paroxyſmi maximam partem videtur minutus eſſe et a priſtina acerbatione remiſiſſe: vel quod vtilius pariter ac ſecurius eſt, miſceatur *Pulueri bezoardico* puluis vitalis: vel deſtillentur in illum 15 aut 20 guttæ Eſſentiæ dulcis, vt vna ſumantur.

§. V.

Quomodo in intermittentibus.

In febribus *intermittentibus*, quæ interualla temporum habent, et vel ſingulis diebus, vel tertio quoque et quarto die redeunt, conſultum fuerit ſub tempus frigoris *Puluerem bezoardicum* doſi paululum auctiore dare: tum autem, cum æſtus vis ac impetus maxima ex parte remiſit, ad ſudo-

ſudores promouendos, quorum ſemper in febribus præcipua eſſe debet cura, eſſentia amara ægroto porrigatur, et circa inſtantem noctem *Puluis bezoardicus* iteretur. Diebus paroxyſmo liberis, ſumat patiens mane pilulas polychreſtas aut purgantes, vel eſſentiam anthypochondriacam; hora autem decima matutina et veſpertina *Puluerem bezoardicum;* et inter prandium ac cœnam eſſentiam amaram.

§. VI.

Vſum quoque hoc medicamentum habet poſt obortos terrores aliasque vehementes animi commotiones; aut, ſi quis onera grauia attollendo vel portando corpori vim fecerit, indeque ſe male habeat; aut, ſi quis ex alia quacumque cauſſa minus recte valeat, neque tamen dicere poſſit, quænam corporis pars præcipue laboret, aut quo nomine adfectus ille nuncupandus veniat. Vſum etiam habet in terroribus.

§. VII.

Illis, qui iam adulta ſunt ætate, ad 20 grana hordeacea; pueris duodecennibus ad 12; trimulis ad 6 hoc detur medicamentum. Quantum eius pro doſi capiendum.

# CAPVT OCTAVVM
## DE
## PVLVERE CONTRA ACREDINEM.

§. I.

Proprium eius abſorbere acredinem.

HIC PVLVIS, acredini oppoſitus, eximium habet vſum in omni genere morborum, in quibus aliquid acredinis, aciditatis et æſtus animaduertitur. Mouet ille ſudorem, ſed leniſſimum plane et valde moderatum.

§. II.

Opem fert in febribus petechialibus.

Qui febribus petechialibus aliisque malignis correpti decumbunt, iis quotidie poſt quælibet 8 vel 6 horarum interualla detur *hic Puluis*: isque vel ſolus vel vicibus cum puluere bezoardico commutatis.

§. III.

In variolis, morbillis.

Similiter inſeruit etiam his, qui variolas, morbillos aut purpuram patiuntur: vbi magna cura et attentio eſſe debet, ne qua medicamenta ægrotis porrigantur expellentia, calida

calida et ſanguinem nimium commoventia. Si vero contingat, vt exanthemata iſta vel non ita, vti debent, vel difficulter et nimis tarde, erumpant: tum laboranti naturæ cum eſſentia dulci et puluere vitali ſuccurratur.

§. IIII.

Multum etiam valet *hic Puluis* in præternaturali ſanguinis incaleſcentia eiusque ebullitione, dyſenteria, in eryſipelis, in profuſionibus alui, in torminibus, in ſoda, in pruritu cutis, dyſuria et ſtranguria, in ſcabie, cruſta lactea, adfectibusque vlceroſis et ſerum fundentibus. In ebullitione ſanguinis.

§. V.

Paruulis et infantibus dabitur, cum febriculas habent et inquieti ſunt; item cum tormina patiuntur, aut partes aliquæ corporis illis crudeſcunt. Quando paruulis conducat.

§. VI.

Doſis erit pro adultis ad mucronem cultri ſeu 20 granorum pondus; pro pueris ſex annorum et ſupra, quindecim; pro inferioris ætatis decem granorum. Quæ quidem doſis, re ſic poſtulante, bis, ter et quater in diem repeti poterit. Doſis.

# CAPVT NONVM
## DE
# PVLVERE ANTISPASMODICO.

§. I.

Effectus huius pulviris amplissimus.

HIC PVLVIS in pluribus adfectibus inſigne´ præbet commodum, vſumque habet latiſſime patentem. Aperit enim aluum, ciet vrinam, reſoluit mucum tenacem, roboratque ventriculum. Externe quidem non ſatis contritus ac tener, ſed paullo craſſior videtur, de induſtria autem ſic granoſus præparatur, et liqueſcit illico in ventriculum demiſſus: vnde hunc ipſum nullo modo aggrauat, quemadmodum alii eiusmodi pulueres facere adſolent.

§. II.

In primis apud ſanguineos.

In primis prodeſſe deprehenditur iis, qui ex abundantia ſanguinis laborant, eiusque commotionibus et exæſtuationibus valde expoſiti ſunt: ſiquidem ebullitionem eius ſedat, ſpu-

ſpumeſcentiam tollit, motusque impetuoſiores compeſcit et ad ſtatum naturalem reducit.

§. III.

Hinc eo illi præſertim magno cum emolumento vtuntur, qui ex neglecta, alias conſueta, venæ ſectione, aut intermiſſa cucurbitularum adplicatione; item, qui ab obſtructione vel retentione ſuetorum ſanguinis fluxuum, vt ſunt hæmorrhagia narium, menſium, lochiorum in puerperis, hæmorrhoidum; varii generis incommoda, inflammationes, eryſipelas, raucedinem, pleuritidem, ophthalmian, otalgian, cephalalgian, odontalgian, h. e. oculorum, aurium, capitis, dentiumque dolores: item dolores in manibus pedibusque ſpaſticos, cordis palpitationem, reſpirandi difficultatem, conſtrictionem pectoris, flatulentias, anxietates præcordiorum, paſſiones hyſtericas ſeu vterinas, tuſſes, nauſeam, vomitus, dolores colicos, malum hypochondriacum, inflationem lienis, cardialgiam, hæmorrhoides cæcas earumque inflammationes experiuntur.

In pluri-mis adfe-ctibus, qui recenſen-tur.

Nec minus vtilitatis inde ſibi promittent illi, in quibus conſueti ſanguinis fluxus nimis excedunt, ſuaque abundantia patientes multum debilitare conſpiciuntur.

Ratio et modus vtendi.

Quotquot igitur his memoratis ſimilibusque malis adficiuntur, *hunc Puluerem* tribus aut quatuor diei temporibus capiant. Ad præſeruandum multum contribuit, ſi interdum naturæ, quæ ſanguinis euacuationem apud tales intendit, aut per ſcarificationem aut venæ ſectionem ſuccurratur, et pars ſanguinis emittatur. Cauebunt præterea ſedulo, ne aluus ipſis ſit obſtructa. Quando vero vſui huius *Pulueris* illa non ita, vti debet, reſpondet: tum pro lubitu aut eſſentia anthypochondriaca, aut pilulis polychreſtis, aut pilulis contra obſtructiones, aut clyſtere aperienda aluus erit.

## §. IIII.

In hæmoptyſi, vomitu et mictu cruento.

In hæmoptyſi, vomitu et mictu cruento, dentur patientibus quotidie tres vel quatuor *Pulueris huius* doſes. Ante omnia autem ſumma poſtulat neceſſitas, vt hæmoptyſi et vomi-

vomitu cruento laborantibus vena in pede ſecetur: qui vero ſanguinem mingunt, illi in brachio venæ ſectionem admittant; quamquam id ſine periculo in pede etiam fieri poteſt.

§. V.

Aduerſus dolores calculi, lumborum, coxarum, femorum, item adverſus ſtranguriam, ardores vrinæ, vel ſuppreſſionem eius, plurimum hinc auxilii petetur, tribus vel quatuor eius doſibus quotidie acceptis.

In doloribus calculi, lumborum, cæt.

§. VI.

Quando ante prandium vel cœnam ſumitur, confert ad faciliorem ciborum concoctionem, præſeruatque a flatibus ructibusque, ex ventriculo oriundis.

In præuertendis flatibus.

§. VII.

Nec minus felici cum ſucceſſu *hic Puluis* adſumitur in arthritide vaga, in podagra, gonagra, in malo iſchiadico, in pleuritide ſpuria, hemicrania, cæterisque huius generis morbis. Cuius in ſingulas doſes ſi 15 guttæ de eſſentia dulci inſtillentur, effectus tanto præſtantior erit celeriorque.

In adfectibus ſpaſticis et conuulſiuis.

§. VIII.

§. VIII.

In variis animi pathematis.

Si quis ira vehementer eſt commotus, vel terrore percuſſus, adſumat ſtatim vnam *huius Pulueris* doſin, eamque vel ſolam vel cum eſſentia dulci per quæuis duarum horarum ſpatia aliquoties repetat. Conſultum quoque fuerit, tali tempore a cibi potusque ſumtione abſtinere.

§. VIIII.

In æſtuatione ſanguinis.

Quibus a fortiori potus genere ſanguis inæſtuauit, illius commotionem vehementiorem *huius Pulueris* beneficio reſtinguant et ebullitionem compeſcant. Nec deſunt, qui a legitimo vſu recedentes, præſidium in eo vel aduerſus ipſam ebrietatem, quamuis præter noſtram intentionem, inuenerunt.

§. X.

In eiusdem congeſtione.

Qui caſu ab alto, ictu aut ponderibus portandis, corpori membrisque vim intulerunt, hi pro diſcuſſione ſanguinis *hoc Puluere* vtantur.

§. XI.

In morbis mulierum, ſpeciatim grauidarum,

*Feminis*, vterum geſtantibus, *hic Puluis* iuxta et eſſentia dulcis, vbique fere, et in omnibus, quæ ipſis

acci-

accidunt, quam maxime opitulatur. Adfert his auxilium, cum hæmorrhagias vteri ſiue metuunt ſiue patiuntur; cum doloribus capitis adfliguntur; aut ægre et magna cum difficultate ſpirant; aut ira et pauore vehementius commotæ ſunt; aut cum abortum formidant; aut cum vomitu, flatulentia, torminibus ac doloribus lumborum et coxarum cruciantur; aut cum fœtus ſeſe movet præter ſolitum, aut vrinæ excretio retinetur. Parturientibus etiam, quæ a viribus ad partum intenſis multum æſtuant, ſemel *hic Puluis* atque iterum datus, plurimum eſt profuturus.

et parturientium.

§. XII.

Tantum autem eius dabitur adultis, quantum cultri mucrone capi poteſt, aut quantum viginti grana hordeacea pondere æquabit. Vſus illius pro rei neceſſitate ac temporum ratione, bis, ter, quater quotidie iterandus erit; aut interiectis ſemper duarum horarum ſpatiis tam diu frequentandus, donec in adfectibus grauioribus vis morbi fracta ſit et maximus impetus profligatus.

Quantum illius ſit dandum et quoties.

*CAP.*

## CAPVT DECIMVM
## DE
# PVLVERE VITALI.

§. I.

Eſt medicamentum roborans et ſecuri vſus.

HIC PVLVIS ideo cognominatur *vitalis*, quod eo motus vitales inſigniter roborantur, promoventur et in ordine ac iuſta proportione conſeruantur. Cuius quidem vſus ita ſecurus eſt omnisque adeo periculi et metus expers, vt ab omnibus ſine diſcrimine ſexus et ætatis, ne infantibus quidem exceptis, vtiliſſime capi queat.

§. II.

Modus operandi per ſudorem.

Modus operandi blandiſſimus eſt et naturæ admodum conueniens: ſiquidem vſus eius nullas excitat turbas, et impuritates, quas obuias habet, ordinarie per moderatum ſudorem, cum inſigni quadam virium corroboratione, e corpore propellit.

§. III.

Illius potentia in febribus acu-

Reddit *hic Puluis* ſanguinem puritati ſuæ, eiectis hinc inde, quæ no-

cere

cere valetudini poſſunt: in primis autem mundificat lympham. Eſt virtutis *balſamicæ*, reſiſtit veneno et putredini, quæ corporis ſtructuram corrumpunt vitæque quam maxime aduerſantur. Quare ſumma non minus ſecuritate, quam vtilitate adhibetur in febribus *acutis*, *petechialibus*, aliisque *malignis*, in purpura alba, morbillis, variolis, compluribusque aliis exanthematibus: in quibus medicamentum hoc materiam febrilem et malignam, quæ in corpore graſſatur, non modo corrigit, ſed eam ſimul etiam ſecernit atque excernit. Idem et exacerbata, quæ concurrunt, ſymptomata ſedat, eorumque diminuit immo infringit nocentiſſimum effectum. Confortat quoque naturam, cuius motus multum adiuuat atque ita moderatur, vt febris, accedente diuini Numinis auxilio, et accurata regiminis præſcripti obſeruatione, feliciter decurrat et ſalutariter finiatur. Quam ob rem neceſſe eſt, vt ab initio febris vſque ad finem eius, vſus *huius Pulueris* diligentiſſime continuetur.

tis et pete-
chialibus,
cæt.

§. IIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0097-8

§. IIII.

In profluviis ventris.

Optimum etiam et notabilem effectum producit, quando alui profuſionibus, in primis diarrhœæ et dyſenteriæ opponitur. Non adſtringit aluum: roborat tamen ventriculi et inteſtinorum tonum. Mitigat etiam grauiores, qui ægrotos cruciant, dolores, promouetque impuritatum, quæ inteſtina rodunt, moderatam deiectionem.

§. V.

Inque pluribus aliis morbis, qui recenſentur.

Efficit autem *hic Puluis*, vt ſanguis per vniuerſum corpus æqualiter diſtribuatur, et *congeſtiones*, ſi quæ obuiæ ſunt, *diſſipentur*, quæque ex his ſanguinis congeſtionibus ortum trahunt, nimiæ hæmorrhagiæ, præſentiſſima ope compeſcantur. Salutaris etiam medicina eſt illis, qui ſcorbuto, gonorrhœa ſeu ſeminis fluxione, item fluore albo, lue venerea, apoſtematibus, putidisque ac fiſtuloſis vlceribus laborant: adverſus quos quidem corporis adfectus tanta pollet virtute, vt primatum facile inter quæcumque alia medicamenta obtineat.

§. VI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0098-3

§. VI.

*Phthiſici* quoque et tabeſcentes hic inueniunt, quod non vbiuis obvium eſt. *Huius* enim *Pulueris* continuato vſu, priſtinam recipiunt ſanitatem, ſi modo per naturam vllus auxilio locus ſit relictus. In reſoluendis *tumoribus* ſanguinisque ſtaſibus præſtantiſſimus eius eſt et optatiſſimus effectus. Porro *hic Puluis* opponitur adfectibus *arthriticis* morbisque articularibus, idque felici cum ſucceſſu: ita tamen, vt ægroti ad ſudorem vel lenem transſpirationem ſeſe ſæpius diſponere debeant; tum vt tonus fibrarum membrorumque conſtrictus relaxetur, tum vt particulæ acres et ſulphureæ euaporent.

Quid Phtiſicis arthriticisque inde promittatur auxilii.

§. VII.

Atque hoc quidem, quod iam monitum eſt, in reliquis quoque morbis curandis obſeruatu neceſſarium eſt: quia *hic Puluis* maxime per ſudorem, vrinam et ſedes virtutem ſuam exſerit. Hinc neceſſe eſt, vt patientes, ad minimum, dum eo vtuntur, quiete et moderate in

Quale regimen illius vſus requirat.

calore ſe contineant: quo ſic effe-ctus, quem prædicauimus, tanto fa-cilius conſequatur.

§. VIII.

Quo vtendum vehiculo, et in qua quantitate.

Sumitur autem pro re nata et conditione morbi, cum vino, cereviſia, aqua deſtillata vel communi, aut cum iuſculo, potu aquæ calidæ, cum Thée vel Coffée coctæ. Ætatis qui iam confirmatioris ſunt, *huius Pulueris* integra doſis, puerili autem et teneræ ætati dimidiata tantum exhibeatur.

§. VIIII.

Quoties illius vſus repetendus.

Vſus eius quouis viginti quatuor, aut duodecim, aut octo, aut ſex, aut quatuor, aut duarum horarum interuallo, prout morbi ratio poſtulat, repetatur. Quo enim plus periculi videtur imminere, eo frequentius ſumatur medicamentum. Contra ea ſi moras patiatur morbus, nec inſtans periculum aliud vrgeat, ſemel in diem et quidem tempore matutino, vel bis etiam, mane ac veſperi capiatur.

CA-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0100-9

## *CAPVT VNDECIMVM*
## DE
# BALSAMO CEPHALICO-STOMACHICO-NERVINO.

§. I.

HIC BALSAMVS habet vſum in adfectibus apoplecticis, lipothymiis ſiue animi defectionibus et vertigine capitis: multumque facit ad memoriam confirmandam. Vnguntur eo nares, tempora et vertex. *Vſus eius in morbis capitis.*

§. II.

Neque vero minus efficax eſt in diſſipandis doloribus, quibus caput vehementer adficitur, ſi eo modo, quem præſcripſimus, adhibeatur. *In doloribus eiusdem.*

§. III.

In ſuſurro, tinnitu et pulſatione aurium, item in vehementiori earum dolore, aliquantum *huius Balſami*, ad magnitudinem piſi, cum goſſypio immittatur in aurem, vbi do- *In adfectibus aurium.*

dolor ſedet, inibique per aliquot horas retineatur: d quod, ſi ſemel atque iterum ſit factum, effectu non fruſtrabitur.

§. IIII.

In doloribus dentium.

Si qua particula *eius* in dentem carie laborantem et multis doloribus adfectum adplicatur, ſequitur plerumque mitigatio dolorum ac leuamen.

§. V.

In impotentia partium et contractura.

Si quæ corporis partes adfectæ ſunt apoplexia vel paralyſi, ita vt ſenſum ac potentiam motus amiſerint; aut ſi contracturam paſſæ ſunt ex quacunque cauſſa: illæ diligenter *hoc* vngantur *Balſamo* et ad calorem probe perfricentur. Effectus teſtabitur, illas non exiguum hinc robur et firmitudinem accepiſſe.

§. VI.

In malis ſtomachicis, colica, cæt.

Quibus ſtomachus valde intumuit, aut dolet; item qui paſſione colica, flatibus torminibusque ventris vexantur: illi ſtomachum et abdomen *hoc* vngant *Balſamo*, vt incommodis iſtis liberentur.

§. VII.

§. VII.

Bono etiam cum ſucceſſu *hic Balſamus* adhibetur tam ab adultis quam a paruulis, ſi in ſedandis ventris profuſionibus, vel vomitu reprimendo, venter *eo* vngatur, ac deinde linteolum, ſpiritui vini calefacto vel vino aduſto vel aquæ apoplecticæ immerſum, iteratis temporibus calidum imponatur.

In profluviis ventris, dyſenteria, cæt.

§. VIII.

Optato itidem cum effectu *hoc Balſamo* vtentur feminæ, vterum geſtantes vel ex partu laborantes. Diſſipat enim dolores ac flatus, quibus adfliguntur, moderatur vehementiorem fœtus motum, obſiſtit doloribus vagis, et vbique vt balſamus pro infantibus vtiliſſime adplicatur.

Inſeruit valetudini feminarum gravidarum.

§. VIIII.

Si qua partium contiguitas vel inciſione, vel ictu, vel punctione, vel vſtione, ſit ſoluta; item, ſi quod membrum frigore ſit læſum: tum adplicetur mox *hic Balſamus* recenti vulneri aut membro læſo. Sic patiens virtutem leniendi, diſcutiendi, ſanandi, qua pollet, notabili cum

Adplicatur etiam vulneribus.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0103-6

effectu experietur. Quod ſi *hic Balſamus*, cum vitello ouorum permiſtus, vulneri adplicetur: magis etiam et promtius reſpondebit effectus.

§. X.

Loco vnguenti ad labia adplicatur.

Porro vicem ſuſtinebit *hic Balſamus* vnguenti ad labia: quo caſu illa, ſi ab aeris aſperitate et ſiccitate ſint dirupta, eo vngentur ac ſanabuntur.

§. XI.

Vſus eius internus in profluuiis ventris, &cæt.

Vbi ad ſiſtenda ventris profluuia, dyſenterian, vomitum, paſſionem colicam, flatulentiam, hisque ſimilia mala, in promtu non ſunt alia idonea medicamenta, ibi eorum defectum idem *hic Balſamus* ſupplere, dictisque incommodis non ſine effectu opponi poterit. Sumatur igitur ad magnitudinem piſi maioris in cochleari iuſculi calidi.

§. XII.

Præſeruatiuum eſſe poteſt iter facientibus.

Quibus iter faciendum, hi tantum eius, quantum modo eſt dictum, matutino tempore, priusquam egrediuntur, in linguam excipiant, et in ore ſolutum paullatim intra corpus demittant: ſic ab omni aeris aſperitate et cæli nebuloſi inclementia atque inſalubritate ſaluam integramque præſtabunt valetudinem.

AP-

# APPENDIX
## DE
## ALIIS QVIBVSDAM
## SALVTARIBVS
# MEDICAMENTIS.

SVCCEDVNT iam alia quædam medicamenta, quorum in præfatione facta eſt mentio. Illa quidem non includuntur ordinarie *apotheculis* noſtris, quas ad vſum *domeſticum*, *viatorium* et *caſtrenſem* inſtruimus, vti ea medicamenta, quorum vſus hactenus et virtutes expoſuimus. Quoniam vero eorum bonitas ac præſtantia nobis exploratiſſima eſt, et plurimis exemplis atque teſtimoniis confirmata: non poſſumus, quin promiſſi memores, eorum quoque rationes atque vtilitates nunc in medium proferamus. Neque tamen, vt modo dictum eſt, ea in dictas *apotheculas* inſeruntur, niſi vnum vel alterum expreſſo nomine depoſcatur.

## SECTIO PRIMA
### DE
# PVLVERE NIGRO.

## §. I.

Hic puluis prorſus inſigni virtute præditus.

HVNC *Puluerem Nigrum*, eo quod multi operis ac laboris eſt, et non ita magna copia vno labore paratur, huc vſque in caſus tantum neceſſitatis reſeruauimus: nempe, quando aut cætera medicamenta reſpondere noluerunt, aut impetus morbi adeo violentus fuit, vt vitæ metuendum eſſet periculum. Eſt enim medicamentum, quod inſigniter naturam corroborat ac firmat, vt alia, quæ in vſu ſunt, cum hoc comparari non poſſint. Hinc in omnibus morbis quam ſecuriſſime adhibetur. Certum eſt, et re ipſa ſæpius cognitum, vitam pluribus hoc remedio ſeruatam eſſe, cum in ſummo conſtituti eſſent diſcrimine.

§. II.

§. II.

Singularem virtutem oſtendit *hic* *Puluis*, cum magnis et enormibus hæmorrhagiis ſeu ſanguinis effuſionibus vexantur patientes; maxime vero, cum nimio menſium et lochiorum aut hæmorrhoidum fluxu laborant: vtpote quæ immoderatæ et damnoſæ fluxiones hoc remedio temperantur et ſiſtuntur. Si vero poſt eius vſum profluuia iſta apud *feminas* non ceſſant, ſuſpicandum eſt non ſine cauſſa, molam ſubeſſe in vtero: qualis tamen mola, medicamenti huius beneficio, ſæpe paucis poſt diebus feliciter excuſſa eſt. Quo facto et ipſe ſanguinis fluxus, poſtquam ſublata hoc modo cauſſa fuerat, conſtanter ceſſauit.

Reſiſtit immoderatis ſanguinis fluxionibus.

§. III.

Adultis integra doſis, iunioribus autem et paruulis dimidiata porrigatur. Repetendus vero eſt vſus poſt viginti quatuor horarum interuallum, ſi periculum non exigat frequentiorem. Summa vrgente neceſſitate, vel poſt alteram quamque horam denuo dari poteſt.

Doſis.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0107-8

## SECTIO SECVNDA
## DE
# PVLVERE LAXANTE.

## §. I.

Hic puluis eſt laxans quoddam leniſſimum.

HIC PVLVIS, quem *Laxantem* dicimus, laxat quidem aluum, ſed modo quodam leniſſimo et ſine moleſtia ſumentis: ita, vt vix operatio eius ſenſu percipiatur. Ordinarie aluus per *hunc Puluerem* bis vel ter ſoluitur: quando vero multæ ſunt in corpore impuritates, ſequuntur ſex vel ſeptem ſedes, nulla tamen cum virium debilitatione coniunctæ. Si bis per diem ſumitur, vna doſis ſub ſomni tempus, altera poſtero mane: effectus erit paratior. Aperit autem aluum magna cum facilitate, et emollit quoque hos, qui nullis aliis purgationibus emolliuntur. Neque tamen *hic Puluis* adultis tantum, ſed iunioribus quoque, immo

et

et infantibus, non ita pridem in lucem editis, ſecure dari poteſt: vtpote quos moderate laxat. Quando autem impuritatis vel muci aliquid in ventriculo eſt, efficit plerumque vomitum, ne illud cum periculo valetudinis inibi detineatur.

§. II.

Ineſt præterea *huic Pulueri* alia quædam, non minus certa, quam eximia virtus, nempe vis enecandi vermiculos atque eiiciendi eos: quæ tum præſertim ſeſe exſerit, quando luna decreſcente vſurpatur. Idcirco, cum dici nequeat, quot et quanti ſæpe morbi tam in adultos quam paruulos a vermibus proficiſcantur: vſus huius medicamenti hac etiam de cauſſa commendari maxime meretur.

Enecat vermiculos eiicitque eos.

§. III.

Nec parum eo proficitur, ſi adhibeatur in ſcabie, petigine, cruſta lactea, fluxu oculorum auriumque, in ex terna

Oſtendit etiam virtutem ſuam in ſcabie

ſimilibusque morbis. terna cutis immunditie: etiam in adfectibus, ichore madentibus atque vlceroſis, ſi vel maxime ſint inueterati, vſus eius cognoſcitur. In primis bonus eſt effectus eius, quando ſcabies vel a frigore vel intempeſtiuo vnguentorum abuſu ad interna receſſit, et febri cauſſam præbuit. Quo caſu mox detur vna doſis *huius Pulueris*: ſic ſcabies rurſus pelletur ad externa et præcauebitur malum, quod internis corporis partibus hac ex re facile infligi poterat.

## §. IIII.

Vtendi ratio ac modus. His igitur et ſimilibus malis qui adfliguntur, duas capiant per hebdomadem *huius Pulueris* doſes: adhibeantque ſimul ter in ſingulos dies eſſentiam amaram. Si quis præterea vti volet puluere vitali, et poſt illum ſemel vel bis moderatum ſudorem admittere: ille efficaciam eius ſentiet tanto celeriorem ac maiorem.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0110-4

## §. V.

Vtiliſſimum pariter eſt in diſſolvenda pituita tenaciore et purgando ſanguine a particulis acidis, quibus inquinatus eſt, hoc ipſum medicamentum. In gonorrhœa, fluore albo, aliisque impuritatibus venereis, ſi ſemel atque iterum hebdomade ſumtum, et cum eſſentiæ dulcis terna vel quaterna per diem ſumtione atque acceptione aliquot doſium de puluere vitali coniunctum fuerit, non minimam præſtabit virtutem.

Diſſoluit quoque pituitam, et purgat ſanguinem.

## §. VI.

Illud autem tenendum eſt, non eſſe *hunc Puluerem* propter Mercurium dulcem, in eo contentum, ſæpius, quam ad ſummum bis, capiendum. Tres igitur vel quatuor ad minimum dies intercedant oportet ante, quam illius vſus repetatur: tum vero, ſi qua id neceſſitas poſtulat, ſine deliberatione illum de-

Quænam in eius vſu ſint cauenda.

denuo ſumere licebit. Deinde et hoc ſciendum, inter vſum *huius Pulueris* corpus eſſe fouendum, et nequaquam aeri frigidiuſculo committendum.

## §. VII.

Doſis. De *hoc Puluere* infantes ad quatuor grana; pueruli trium annorum ad decem; decimum agentes annum et maiores natu ad viginti pro doſi ſumere poſſunt: parum autem intereſt, ſiue aqua, ſiue iuſculo, ſiue cereuiſia pro vehiculo vtantur. Adulti autem bono cum ſucceſſu ſub veſperam doſin vnam, et ſequenti mane denuo doſin poſſunt recipere.

# SECTIO TERTIA
DE
# ELECTVARIO ANTI-PHTISICO.

§. I.

PROBATISSIMVM remedium eſt *hoc Electuarium* ad phthiſin incipientem: item ad varia pectoris ac pulmonum vitia. Experientia cognitum eſt atque obſeruatum, illud ſæpe in eiusmodi caſibus plus, quam alia medicamenta, morbis huius generis oppoſita, profuiſſe; in primis ſi puluis vitalis, de quo ſupra actum eſt, vel puluis ſolaris, de quo ſtatim agetur, ſimul adhibitus fuerit. Electuarii huius virtus.

§. II.

Pulmonibus ita prodeſt, vt illos mundet, roboret et ſanet. Promo- In pulmonibus conſpicua.

vet

vel expectorationem materiæ impuræ, mucoſæ et ſanioſæ, et reſiſtit per virtutem ſuam balſamicam putredini pulmonum, ne malum latius ſerpat pulmonesque in totum corrumpat.

## §. III.

Doſis. Tantum autem eius ſumatur pro doſi et comedatur, tempore matutino et veſpertino, interdum etiam poſtmeridiano, quantum duobus cultri mucronibus excipi poteſt, vel duæ drachmæ ponderant: idque continuetur tam diu, donec omne malum profligatum et valetudo in priſtinum reſtituta ſit ſtatum.

# BREVIS NARRATIO
## DE
# PVLVERE
## QVODAM SOLARI.

Quomodo

Ad depurandum ſanguinem et lympham in adfectibus venereis, in ictero nigro, in arthritide, in malis corporis externis madentibus, in exanthemate aliaque cutis immunditie;

Similiter

In varii generis febribus, acutis videlicet, hecticis et lentis, in periculoſis variolis ac morbillis, in internis pariter et externis inflammationibus, in hæmorrhagia ſiue violento ſanguinis effluxu:

Nec non

Ad aperiendas ſanandasque obſtructas et læſas partes internas, in phthiſi et atrophia, in malo hypochondriaco, multisque aliis morbis chronicis,

Diuina benedictione ſecundante, adhuc adhibitus fuerit.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-731192-p0115-3

## §. I.

QVAMQVAM medicamenta, a nobis huc vſque præparata et in pharmacopolio Orphanotrophei, quod in ſuburbio Glaucha ad Halam noſtram eſt, diſpenſata, multis ægris hominibus, qui ea ad ductum libri, qui *Cognitio hominis ſecundum corpus et vitam naturalem conſiderati* inſcribitur, adhibuerunt, per diuinam benedictionem optatum vſum præſtiterunt: ea tamen ipſa non ſolum identidem corrigere ſategimus, ſed operam etiam dedimus, vt adhuc nonnulla alia adinueniremus, quorum applicatione illis ſuccurrere poſſemus, quibus ſupra memorata ad curandos eorum morbos non ſuffecerint. Cui noſtro propoſito quando Deus O. M. pro ſua clementia felicem ſucceſſum impertire dignatus eſt: ægrotantibus,

quibus ope noſtra vti placuit, diuerſa ſalubria et efficacia remedia ſuppeditare et in morbis chronicis, Deo bene iuuante, adhuc felicius quam quidem antea opitulari potuimus. Equidem animus nobis non eſt, ea velut priora illa, libere ac publice diſpenſanda curare: ſed in noſtra duntaxat praxi, vt adhuc fieri conſueuit, ægris conſilii et auxilii noſtri cupidis adhibere, et amicos quosdam ac medicos illis inſtruere: Attamen neceſſitate quadam premimur, aliquam eorum recenſionem litteris conſignandi illamque typographo excudendam tradendi, vt hoc modo ſcribendis multis ac longis epiſtolis, quam ad rem tempus ac otium plerumque deficit, ſuperſedere poſſimus. Initium facimus ab obſeruationibus de virtute, effectu et vſu *Pulueris ſolaris:* pluribus monitis in aliud tempus et commodam occaſionem reſeruatis.

## §. II.

Hic *Puluis ſolaris* pro medicamento quidem vniuerſali non venditatur, in

eo autem ad medicinam vniuerſalem proxime accedit, quod in omnis generis morbis et adfectibus cum inſigni effectu adhiberi poteſt. Operatur *reſoluendo, aperiendo, roborando et confortando.*

Fuerunt ſæpe, qui ad inueniendum medicamentum vniuerſale adiecerunt animum. Neque vero exiſtimandum eſt, in ea illos fuiſſe opinione, fore, vt tali medicina omnes ac ſinguli morbi in omnibus ac ſingulis ægrotis curentur: id quod eſſet ſtulte ſibi perſuadere, mortalitati obicem vllo remedio poni, et legem mortis, contra diuinam voluntatem, aboleri aut certe retardari poſſe. Sine dubio conſilium illorum eo tantum ſpectauit, vt eiusmodi ſublimis et efficacis medicinæ compotes fierent, qua in omnis generis morbis et ſymptomatis idem illud, et quidem melius ac citius, efficeretur, quod alias in quouis morbo per optima quæque et præſtantiſſima remedia vix effici atque obtineri poſſet. Res fere ſeſe habet, vti cum claue quadam principali ſiue generali, qua omnia ædificii alicuius conclauia aperiuntur, propriis eorum et huic negotio aptatis clauibus alias reſeranda; vbi vero nonnullæ ſeræ rubigine tanto-

pore correptæ fuerint, vt neque ſuis ipſarum clauibus nec generali quadam recludi queant. Quæſtio interdum facta eſt, an ſperandum ſit, quod vna aliqua et ſola res eiusmodi operationem vniuerſalem ſit præſtitura? Qui id negant, illi hoc nituntur fundamento, quod, quum morbi et vel ſexcenta ſymptomatum genera ex multis diuerſisque cauſſis oriantur, fieri nequaquam poſſit, vt ea omnia vno eodemque remedio releuentur ac curentur. Quisquis autem rem curatius conſiderauerit, is omnes morbos inde exiſtere deprehendet, quod vel humores et particulæ fluidæ, vel partes ſolidæ earumue motus in corpore humano non ſic, vti ordinarie ac naturaliter eſſe debebant, comparati ſint. Iam vero pro re impoſſibili haberi non decet, medicinam, quæ maſſam ſanguineam depurat, non æque lympham reliquosque humores deparare, materiam viſcidam incidere, particuſas acres et acidas ad ſecretionem et excretionem aptas facere poſſe: quum conſtet, multa medicamenta in eumdem finem quotidie commendari; vbi modo optandum erat, vt hoc ipſum ſæpius cum ſperata efficacia fieret. Quidni igitur medicina, quæ talem effectum in humoribus habet, in partibus ſolidis, ad quas per humores deducitur, eumdem

præſta-

præſtare poſſit? Quidni impuritates, illis inhærentes, æque incidere, reſolvere et abſtergere; conſequenter partes obſtructas reſerare, læſas autem et vulneratas ſanare ac conſolidare queat? Quidni etiam motus in debitum ordinem redigantur, ſi ea, quæ eiusmodi motus extraordinarios excitarunt, ſublata fuerint et naturæ tali modo quaſi ſatisfactum ſit?

Facile autem coniici poteſt, medicinam vniuerſalem haud craſſam, acrem, fortiter in corpus agentem ac violentam, ſed e contrario valde lenem, penetrantem tamen, et naturæ gratam rem eſſe: quæ a menſtruis et humoribus in corpore facile ſolui, cum illisque ad omnes illius partes deduci, neque vero in natura ſua mutari aut corrumpi poſſit, adeoque effectum, quoad in corpore aliquid eius ſupereſt, præſtare, ſtomachum mole ſua non onerare, contra autem multo nobiliorem eſſe, quam vt quispiam putare debeat, ſe cruditates, ſaburram et ſordes in primis viis obuias ope illius expurgare poſſe, quippe quod per vomitoria, laxantia aliaue craſſiora remedia virtute attenuandi prædita, aptius fieri poteſt. An igitur hic *Pulvis ſolaris* et quatenus cum medicamen-

to vniuerſali comparari poſſit, id quidem cuiusuis intelligentis hominis experientiæ et iudicio relinquitur: quam ad rem obſeruationes ſequentes plura adminicula ſuppeditabunt. Vnusquisque certe, qui eo vti volet, mox deprehendet, non eſſe medicinam, quæ fruſtra ſumatur.

Si quis hunc *Puluerem ſolarem* cum eſſentia dulci coniunxerit, ille duo habebit medicamenta, quibus in plerisque periculoſis morbis et adfectibus chronicis tuto fidere, optatumque inde effectum, Deo bene vertente, ſperare poterit. Qua in re hoc diſcrimen notandum eſt, quod eſſentia dulcis præcipue tonum adficiat, eique ſpeciatim felicem effectum præſtet, in omnibus adfectibus, in quibus aliquid ſpaſtici intercedit: *hic Pulvis autem ſolaris humores et partes ſolidas plus adficiat;* et maximam in illis morbis vim exſerit, qui ex mala earum conditione oriuntur.

Quando hæc duo medicamenta commendamus, non eo conſilio id facimus, vt cuipiam perſuadeamus, vt ſepoſitis reliquis medicamentis omnibus, his duobus ſolum inſiſtat, ſed ſingulares eorum virtutes ideo tantum proponuntur, vt, ſi cætera non ſuffecerint, ægri ad

hæc

hæc confugere aut ea aliis in ſubſidium addere poſſint. Quid? quod conſilium potius damus, vt aliorum medicamentorum, quorum de præſtantia ſatis conſtat, vſus una retineatur, et in bona methodo, quam citatus liber *Cognitio hominis* præſcribit, continuetur. Monemus hoc, ne quis, quum in ſequentibus aliorum medicamentorum haud multam mentionem fieri obſeruauerit, ea prorſus excludi exiſtimet.

## §. III.

Speciatim maſſam ſanguineam, *lympham* et reliquos *humores* attenuat et depurat, acredinemque per ſudorem et vrinam, aut quomodo naturæ facillimum et commodiſſimum eſt, expellit. Hac in parte haud facile medicinam offendas, quæ hanc illius operationem et efficaciam antecellat.

Hinc *fluor albus*, *gonorrhœa virulenta*, *bubones aliique adfectus venerei* ſine ſaliuatione vel conſuetis diaphoreticis perfecte curantur; vel ſi ſaliuatio præmittenda videatur, vbi fortaſſis contagium venereum oſſa inuaſerit, reliquiæ mali inueterati eo ipſo penitus expurgari poſſunt. Quodſi ægroti potum, ex

ſalubrium lignorum radicibus, ſpeciatim ex meliore ſarſaparilla coctam, adhiberent, res ſuccederet tanto felicius, quamquam illud abſolute neceſſarium non eſt.

In *ſcabie, cruſta lactea, vlceroſo aurium fluxu*, aliisque *circumſerpentibus* et *exedentibus adfectibus* bono cum ſucceſſu adhibetur, tametſi interdum externis etiam remediis heic ſimul opus eſt.

In omnibus etiam recenſitis adfectibus bis vel ter per hebdomadem doſis de recte præparato mercurio dulci, vel de noſtro puluere laxante, vtiliter ſumi poteſt.

In *ictero nigro* pilulæ polychreſtæ addendæ ſunt.

In *adfectibus arthriticis, podagra, gonagra, chiragra, malo iſchiadico, hemicrania* (vehementibus capitis ab altero latere doloribus) ſimiliter cum inſigni ſucceſſu ad eradicandum malum, præſertim ſi non ſit hæreditarium, adhibetur: neceſſe autem eſt, quemadmodum facile coniici poteſt, vſum illius aliquamdiu continuari. Interdum medicamen leniter laxans e. g. eſſentia anthypochondriaca, vel bonæ indoſis mercurius dulcis dari poteſt.

Si

Si cui *ſaliuatio* noxæ fraudique fuit, ſimiliter ſi *ſaliuatio non remittit*, aut ſi ex vſu rerum mercurialium *ſaliuatio intempeſtiue ſuborta* fuit, vel ſi *mercurius in corpore hærens* alia *incommoda parit*: hæc medicina optatum auxilium præſtabit.

Si quis ab *aſpide* vel alio quodam *venenato animalculo* punctus et hoc ictu in lethalia ſymptomata prolapſus eſt, is duas doſes confeſtim alteram poſt alteram ſumat, ſtudeatque ſudorem elicere: tunc ſymptomata remittent et homo læſus extra periculum futurus eſt. In *morſu canis rabidi* non minus efficacem ſe præbebit externe pariter et interne applicatus.

## §. IIII.

In omnibus *febribus acutis*, *continuis*, *malignis*, *peſtilentialibus*, *inflammatoriis*, *exanthematicis*, *petechialibus*, *purpura alba*, cæteris, medicamentum efficax eſt et reliqua *alexipharmaca* omnia virtute ſua ſuperat.

Si in principio morbi, die ſtatim prima, homini febri aliqua laboranti ſingulis quatuor vel ſex horis doſis datur ſudor-

que

que elicitus patienter toleratur: febris remittit ante, quam ſolitas vires adſequatur. Si vero ægrotus iam tum per aliquot dies decumbit, valetudo quidem non adeo celeriter reparatur: in ægrotante tamen inſigne aliquod ſymptomatum leuamen obſeruabitur, et vis morbi paullatim infringetur.

*Variolas* et *morbillos*, *purpuram* aliaque exanthemata, *ſine ſanguinis commotione* eiicit. Aegrotantes non patiuntur enormes et nimios ſudores, vti alias plerumque fieri ſolet: ſi vero illis antea adfecti fuerint, paullatim ſedantur, et exanthemata per lenem et mediocrem tranſpirationem apparent, quæ ægrotos non adeo defatigant; immo tanto minus verendum eſt, ne exanthemata retrocedant, vti in nimiis ſudoribus minima quauis occaſione metuendum eſt; quæ res ad curandas febres periculoſas non mediocre telum eſt.

Si ægroti *vehementibus præcordiorum anxietatibus* adfliguntur, ſiue quod exanthemata non ſatis viſui ſe ſiſtunt, ſiue quod rurſus euaneſcunt: illis quidem quater vel quinquies per ſingulas horas doſis porrigatur, vſque dum anxietates illæ ſopiantur.

Si

Si *variolæ confluxerint*, *retroceſſerint*, *pallidæ ac planæ factæ et lapſæ fuerint*, vt ægroti in magnum vitæ periculum adducti ſint: variolæ per crebrum huius medicamenti vſum ex priſtino deteriore ſtatu emerſerunt, atque hic morbus pro indole ſua felicem exitum ſortitus eſt. Vel ſi in nonnullis pallidæ et lapſæ manſerint; etiam ſine præuia ſuppuratione et vlceribus in corpore, aridæ factæ conciderunt, et ægrotantes paullo poſt non minus, quam ſi more ſolito ſuppurauiſſent et deinde ſanatæ decidiſſent, priſtinam valetudinem recuperarunt.

In *febribus intermittentibus* obſeruatum nobis non eſt, per hunc puluerem multo plus quam per alia ſalubria et efficacia medicamenta præſtitum fuiſſe: ſi vero in hominibus ex *male curatis febribus* variæ, malignæ ac periculoſæ febres coortæ fuerint, hoc puluere rurſus ſanari potuerunt.

## §. V.

**Similiter in *febribus becticis et lentis* alia medicamenta nota omnia antecellit.**

Ne-

Neceſſe autem eſt, hanc medicinam aliquamdiu, ad minimum per quatuor hebdomades, continuari: quia harum febrium cauſſa non ſtatim ſupprimi at tolli poteſt. Si vero intra tres quatuorve hebdomades nullum conualeſcentiæ initium obſeruaretur, de ægrotantis reſtitutione in integrum non multa ſpes foret.

## §. VI.

**Habet hic puluis magnum vſum in** *obſtructionibus viſcerum, ſtaſibus et congeſtionibus ſanguinis, in reſoluendis tumoribus et diſcutiendis inflammationibus internis et externis.*

Hinc adhibendus eſt in *atrophia*, in *obſtructione et obduratione lienis* ac *hepatis*, in *aſthmate* ſeu *reſpirandi difficultate*, in *contractura* ſiue membrorum rigore: ſimiliter in *œdemate* ſiue *tumore* manuum ac pedum, in *inflatione totius corporis* (anaſarca), in *tympanite* et *hydrope*.

Si *ſueti ſanguinis fluxus obſtruuntur*, atque inde variæ *ſanguinis congeſtiones* exſiſtunt, nimirum *dolores capitis* vel *dentium, oculi rubicundi, morboſa colla,* *eryſi-*

*eryſipelas*, *vertigo*, *pectoris anguſtia*, *reſpirandi difficultas*, *anhelatio*, *palpitatio cordis*, *flatulentia*, *colica*, *inflatio lienis*, *cardialgia*: ſanguis huius pulueris ſumtione diſcutitur, et modo memorata ſymptomata ceſſant, inprimis ſi intentioni naturæ per venæ ſectionem ſimul ſuccurratur.

In admodum *exiguo fluxu menſium*, in eorundem *obſtructione*, ſi non maiorem, certe haud minorem, quam alia medicamenta efficaciam exſerit, præſertim ſi pilulæ polychreſtæ vna adplicentur. Ad minimum varia inde ſuborta ſymptomata, ante memorata, inſigniter remittent.

Idem hoc ſentiendum eſt, ſi ex *obſtructione hæmorrhoidum* varia incommoda naſcuntur.

In *malo hypochondriaco* ſæpius cum optato effectu adhibitus fuit.

In *inflatione pulmonum*, *pleuræ*, *hepatis*, *renum*, *diaphragmatis*, *ſtomachi*, *oculorum*, *aurium*, in *eryſipelate*, non minus ſalutarem effectum habet.

§. VII.

## §. VII.

**Mala in corpore occulta et vlcera in liene, pulmonibus, hepate et renibus, cæt. ſanat.**

Hinc ſingulare remedium contra *phthiſin* eſt, quam intra quatuor hebdomades ita curauit, vt ſanguinea et purulenta excretio ſenſim deſierit, nocturni ſudores ceſſarint, et exſiccata ægrotorum corpora vires reſumſerint. Quorumdam ægrotantium conditio paullo plus temporis requiſiuit. Nonnullis quidem, quorum in corporibus hic morbus nimium increuit, præſens auxilium ferri non potuit: plurimi tamen in illius vſu inſigne leuamentum ſenſerunt.

Ad calculum in renibus et veſica diſſoluendum non valet quidem, (cuiusmodi medicina adhuc deſideratur). Quia autem renes depurat, et collectam in veſica tenacem pituitam reſoluit: nouo calculi augmento anteuertere poteſt.

## §. VIII.

**Roborat etiam *partium tonum*, neceſſarios motus promouet, nimios autem in debitum ordinem redigit.**

In

In *ebullitionibus ſanguinis* vna cum puluere antiſpaſmodico notabilem effectum præſtat.

Quam incertum ſit, quamque periculoſum, nimios ſanguinis fluxus medicamentis adſtringentibus et obſtruentibus curare velle, illi omnium optime norunt, qui ea in re fecerunt periculum. Hoc puluere *ſanguinis fluxus ſuperflui* omnes, ſine vlla propemodum exceptione, in ordinem redigi, et vniuerſæ *violentæ ſanguinis profuſiones*, ſine noxæ formidine, retardari poſſunt; e. g. *nimia excretio ſanguinis in menſibus* vel *hæmorrhoidibus*; *hæmorrhagiæ in puerperis*, *hæmorrhagiæ ex pulmonibus*, in *hæmoptyſi*, in *vomitu cruento*, *mictu ſanguineo*, in *cruento narium ſtillicidio*. Si magnum periculum obſeruatur, ægrotumque animus linquere incipit, tum ſingulis horis, vel per dimidium horæ interuallum, doſis illi detur, vſque dum fluxus ſubſiſtere conſpiciatur: alioqui ſatis eſt, tres quotidie doſes adhibere. Sin autem adfectus ille adeo eſſet inueteratus, vt omnino cedere recuſaret: ægrotanti adhuc alio modo ſuccurrendi ſtudium non deforet.

*Tonum ventriculi* et *inteſtinorum confortat*, *vomitus et ructus ſtomachi*, qui in conſuetudinem degenerarunt, ſedat, *flatu-*

*lentias* propellit, in *dyſenteria* et aliis alui profluuiis, *diarrhœis* etiam *chronicis*, vtilis eſt.

Quando feminæ in partu ita ſunt defatigatæ, vt *dolores* ad excludendum fœtum et eiiciendas ſecundinas non amplius ſubſequantur, vna vel altera doſis magno illis ſubſidio eſſe et naturam ad reſumendum laborem excitare poteſt.

Hunc puluerem menſes et hæmorrhoides promouere, iam ſupra monuimus.

Diuerſis mulieribus, certo grauiditatis tempore abortum facere ſolitis, hic puluis adiumento fuit, vt poſtea ſanum fœtum iuſto tempore ediderint.

In mulieribus, quæ quidem conſueto tempore pepererunt, quarum vero *infantes* eiusmodi *vitiis* ac *næuis* ſemper *infecti* fuerunt, vt paucis poſt natiuitatem diebus vita defuncti ſint, hæc medicina optatum effectum præſtitit, vt inſequenti tempore infantes ex illis ſine eiusmodi vitiis nati ſint atque in vita manſerint. Sub initium grauiditatis per tres hebdomades data illis fuit.

In *adfectibus paralyticis* magno cum emolumento ſumitur: præſertim in principio, vbi morbus adhuc recens eſt. Quo in caſu recte fit, ſi ſub initium medelæ ſingulis horis aliquoties duplæ doſes ægroto porrigantur, et opera nauetur, vt corpus

pus illius inſudare incipiat. Deinceps pro re nata poſt duarum, trium vel quatuor horarum interuallum vna doſis dari et hoc modo eo vsque res continuari poteſt, donec homo ægrotus ſe recolligat. Sæpius obſeruatum eſt, ægros in partibus delumbatis pruritum, ardorem, ſiue, vt vocant, ignem perſenſiſſe.

In *aſthmate conuulſiuo* ægrotantibus per duarum horarum ſpatium doſis huius pulueris data auxilio Dei periculum repulit.

In *ſudoribus colliquatiuis*, corpus maxime emaciantibus, itidem inſignem effectum habuit.

In *catarrhis ſuffocatoriis* poſt ſingulas horas dimidias duplex doſis ægrotanti danda fuerit. Si ſudor in corpore promoueri poſſet, medela tanto felicius ſucceſſura eſſet.

## §. VIIII.

Externe mala vulnera depurat inſperſus: neque verendum eſt, ne inflammatio accedat. Nouum fundamentum ponit, vulnera exſiccat et ſanationem promouet. Si ſimul interne adhibeatur, eo melius procedunt omnia.

Hæc obſeruatio vſum ſuum habet, vbi ad homines, qui teneriore ſenſu ſunt, aut

ad partes tenues cum ſepticis non patet tutus aditus.

In *oculos* inſperſus vel inflatus excreſcentiam ſupra illorum pupillam ſenſim aufert. Saccharo ſubtiliter contrito admiſtus veſperi et mane in oculos pennæ caule inflari poteſt. In admodum graui ophthalmia et tunicarum oculi inflammatione ac doloribus ſpaſticis adhuc alio medicamento ſalutari ægrotantibus ſuccurri poteſt.

## §. X.

Hæc medicina in *variis infantum adfectibus*, præſertim in metuendis catarrhis ſuffocatoriis, in diarrhœis, in vomitibus, in aluo turgida et adſtricta, in petigine, cruſta lactea, effloreſcentia ſuper cutem, in variolis, in morbillis, in exhauriente ardore, vbi dentes emittunt, cum emolumento adhibetur.

Si infantes ad ſumendam medicinam non facile adducuntur, hic puluiſculus, potui commode admiſtus, nec opinantibus poteſt dari.

## §. XI.

Hoc medicamentum totum quidem corpus penetrat, operatio tamen illius maxime ſentiri ſolet in partibus læſis: quod

quod ipſum ægrotanti mirum aut alienum videri non debet, ſed vſus illius tanto diligentius continuari.

§. XII.

Per vrinam potisſimum operatur eiusque ope impuritates eiicit, quippe quæ tunc copioſius et turbulentius effluit. Per *inſenſibilem* etiam *tranſpirationem* operatur, id quod ex efflorescentia et maculis, quæ ſæpius ſine præuiis ſudoribus ſuper totius corporis cute apparent, cognoſcitur: interdum vero largum ſudorem expellit, aliquando diarrhœa, non numquam vnus et alter vomitus ſubſequitur.

§. XIII.

Qui hoc medicamentum *ſe præſervandi cauſſa* adhibere volunt, illi hoc autumni vel veris tempore commodisſime facere eumque in finem per octiduum, vel per duas tresue hebdomades diligenter continuare poterunt.

§. XIIII.

Hic puluis ſemper in doſes diuiditur. Aegrotis tres quotidie doſes dantur. Si vero periculum in mora ſit, poſt ſex, quatuor, tres, duas, vel ſingulas etiam horas adhiberi poteſt. In

adfectibus ſoporoſis, vbi natura ſenſus expers eſt, et ſimplices doſes haud ſingularem effectum præſtant, doſis duplicanda eſt, plures vero doſes ſimul iunctas dari, neceſſe non eſt, ſed ſufficit eas tanto crebrius repeti.

§. XV.

Tempore matutino hic puluiſculus ope aliquot cochlearium iuſculo plenorum commode dari, alias autem cereuiſia vel liquor alius hanc in rem adhiberi poteſt.

§. XVI.

Sæpius adhuc obſeruatum eſt, quod quum ſalutaris cuiusdam medicinæ virtutes recenſitæ fuere, eaque contra vnum et alterum morbum fuit commendata, multi hoc ipſum eo acceperint, quaſi eiusmodi medicinæ tanta vis et efficacia attribuatur, quæ poſt aliquot dierum vſum ſeſe demonſtrare deberet; quando vero hoc, ex illorum quidem opinione, non ita apparuit, quod tum ſatietate illius capti, illam mox ſepoſuerint. Ex quo agendi modo ſperatus effectus omnino non oriri potuit. Quum ergo vereamur, ne huic *Pulueri ſolari* idem fatum accidat, monendum duximus, diligen-

tem

tem eius vſum aliquamdiu, per vnam, duas tresue hebdomades, pro morborum ac ſymptomatum ratione, continuari oportere, ſi quis verum effectum inde exſpectare velit. Etſi enim in multis caſibus ægrotus duabus, tribus vel quatuor doſibus ſtatim releuari poteſt: regula tamen hinc præſcribi nequit, quaſi hoc ſemper fieri debeat.

§. XVII.

Facile foret, vel duas exemplorum et teſtimoniorum centurias de ſalubribus huius medicinæ effectibus in variis capitalibus morbis heic adnectere: ſuperfluum autem et minus neceſſarium ducimus, quia *hic Puluis* occaſione qualibet de ſe ipſo ſatis teſtatur, nec alienis teſtimoniis indiget. Alias quidem teſtes in propria cauſſa non multum valent: in medicamentis autem teſtimonium in propria cauſſa, quod de bono effectu ſuo perhibent, pro veriſſimo et optimo habendum eſt.

§. XVIII.

Quid præterea in huius et reliquorum medicamentorum vſu, ratione diætæ, ab ægrotis neceſſario obſeruari debeat, de eo in libro *Cognitio hominis*

cæt. inſcripto, Part. II. cap. 13. p. 888. ſqq. et in illo de *Eſſentia dulci* cap. 8. 9. p. 67. ſqq. quantum ſatis eſt, monuimus, quo lectorem linguæ germanicæ gnarum remittimus. Ante omnia animum ſuum ad creatorem et vitæ ſuæ dominum conuertere et id ſerio agere debet, vt ipſi reconcilietur; præſertim ſi meminerit, ſe morbum confuſa ac vitioſa vitæ ratione potisſimum ſibi attraxisſe. Deus eſt, qui vim medicinalem naturæ indidit: Deus eſt, qui oſtendit, quomodo terra, exſecrationi propter peccatum ſubiecta, quæ in regno etiam minerali ſentes et carduos procreat, ab iſta infelicitate ſeparanda ſit. Deus eſt, qui ſanationem ægrotantium ſecundat et promouet. Huic Deo optimo maximo vnusquisque, qui ſe conualeſcere ſentit, ſubmiſſiſſimas gratias agere debet. Huic fideliſſimo Deo quilibet poſt recuperatam valetudinem corpus ſuum et vitam conſecret, et reliquos dies peregrinationis ſuæ in mundo ita tranſigat, par eſt, vt de illis æternum gaudere posſit. Idquod omnibus et ſingulis, nec minus nobis ipſis, toto pectore adprecamur.

AD-

# ADDITAMENTVM TRIPLEX DE VSV ET EFFECTV RESOLVENTIS TINCTVRAE SALIS ET TINCTVRAE CORALLINAE, ITEMQVE DE FEBRI TERTIANA PROMTE ET TVTO CVRANDA.

## ADDITAMENTVM PRIMVM
## DE
# TINCTVRA SALIS.

HOC MEDICAMENTVM præſtantiſſimum remedium abſorbens eſt, et in primis contra aciditatem et ſic dictam acredinem ventriculi pariter ac ſanguinis et hinc oriundos morbos alios valet. Stomachum roborat eiusque concoctionem, aluum conſeruat leniter apertam, ſanguinem depurat et humores reliquos. Compoſita eſt ex ingredientibus lenibus balſamicis: quæ quum non per ſpiritum vini, ſed per menſtruum ſalinum extracta ſint, tantum abeſt, vt vel minimum æſtum excitet, vt potius in plerisque morbis magno cum emolumento, ſine formidine oppoſiti, adhiberi poſſit.

In

